SANCTISSIMO PAPÆ

IOANNIS BARCLAII PARAENESIS AD SECTARIOS.

LIBRI II.





ROMAE, Ex Typographia Bartholomæi Zannetti. M.DC.XVII.


SVPERIORVM PERMISSV.


Imprimatur, si videbitur Reuerendiss. P. M. Sac. Palatij Apostolici.

Cæsar Fidelis Vicesgerens.

Imprimatur. Fr. Hiacynthus Petronius Sac. Palatij Apost. Magist. Ord. Prædicatorum.







SANCTISSIMO PAPÆ,

AC DOMINO NOSTRO,

PAVLO V.

PONT. MAX.

IO. BARCLAIVS.

PERP. FEL.

BONO omine eſſe iubeas (Pater Sanctiſſime) quòd in Eccleſiæ hoſtes arma expedio. Concurro graſſantibus, qui à fratrum officio & nomine abiere, & iam intenti in Matris iugulum, ferri non poſſunt. Neque Tuæ Sanctitatis humanitas, quã nihil eminentius Sol aſpexit, abhorrebit ab huius pugnæ ſpectaculo. Nam ò lenia Chriſti arma! ò igno-

tam *carni & sanguini* bellandi ratio-
nem! Medicinam hostibus compa-
ramus: Admouere sanitatis reme-
dia, pugnare est: Si sanantur, trium-
phamus. Narrent alij cæteras in Te
dotes; quæ etiamsi purpura & coro-
næ absuissent, famam tamen & Scri-
ptores haberent; & admonita de
Burghesiani Pontificatus felicitate
posteritas, nostra secula nobis inui-
deat. Dicant Tuæ Sanctitatis ani-
mum in omnes Principes, Gentes,
sine præiudicio, sine factione parti-
tum. Referant integritatem, ipsa
vitiorum nomina non ferentem.
Vim diuinam ingenij; Vultus deni-
que animo dignos, grauissima mo-
destia, simplicissima maiestate. Ad-
dant quietem imperij; Virtutibus
præmia esse; Hoc potissimum ci-
ues optare vt hic quàm maximè lon
gæuus sis. Inter omnia nihil præsta-
bilius mihi videtur, ad Sanctitatis


Tuæ

Tuæ laudem, quàm vt Tuum in Sectarios animum omnes intelligant; & quantum Tuæ Sanctitati sit grauius eos ab æternis honoribus excidere, quàm Tibi ab illis hos negari qui debentur. Dum sæuiunt maledictis, dum Sanctitatem tuam, dum Sedem, dum Fidèm lacerant; Tu votis, lachrymis, curis, remedia illis quæris. Nec tam eximia solicitudo destituta successu; quà Oriens, quà Occidens patet, multis ad Domini gregem redire amantibus. Ego ne à Sanctissimi Ducis mei vestigiis abeam, refugi ab aspera in illos & contumeliosa militia. Malui ægrotantium misereri, quàm irasci morbum amantibus. Moneri volui, non offendi. Antesignanos tamen & duces errorum, excipi ea moderatione non decuit, per quos ista mala, aut nascuntut, aut durant, quiq; non vna vel simplici pernicie,

funera populorum funeri suo addunt. Qualemcunq; hunc impetum Beatissimis pedibus tuis aduoluo, vt illi ad destinata prælia auspicium faciat Sanctitas tua; quam Dominus, qui terram mitibus, & cælum mundis corde promisit, & hic diutissimè esse felicem, & illic denique semper velit.

LE-

LECTORI
BENEVOLO.
IO. BARCLAIVS.
S.



T Aula Britannica, quam reliqui; & Roma, ad quam veni, ſuſpicionem fecerint, edita de ſeculi more hæc ſcripta, vt probarem bona me fide ab Anglia ſeceſſiſſe. Sed omnino mihi alia cauſa eſt, Lector, qui non fictis, aut nouis ſtudijs in hæc ſtudia exarſi. Nec quia ab Anglia abij iſta nunc ſcribo; ſed vt hæc ſcriberem abire conſilium fuit. Primùm enim hoc te abſoluo, me in fide Catholica à puero eductum; neque vnquam demutaſſe. In hæreſes ago perpetuò mihi hoſtes; quarum caſtra non ſubij,

bij, tesseram non agnoui. Nam non moror aliquorum siue maledicta, siue errorem, quibus me in Anglia viuere, in Regis familia esse, idonea ratio videbatur, vt pro hæretico haberent. Longè alius de me sensus eorum, quibus propius crebriusue innotui; cùm nec secr eta illic essem conscientiæ pace contentus; sed externis meæ fidei indicijs cauerem oculos Catholicorum offendere. Itaque non furtiuo, non timido more, obibam Catholici viri munera; familiam eadem disciplina imbuebam. Nec aberam modò à Sectariorum templis, sed & Orthodoxorum cœtibus assiduo consortio misceri solebam. Hæc non ego causa iactandi, sed amoliendæ suspicionis. Testes mihi non obscuri, non suspecta fide viri, qui ijs temporibus in Angliam Legati, à Gallia, atque Hispania: Testes, quos à Confessionibus habuere; quibus & ego patribus vsus sum. Dices. Unde hæc tibi in hæretica regione audacia,

cia, vnde libertas? Non ero ingratus Serenissimo Regi, cuius me fauor, ac benignitas prouexit. Cùm me ille inter domesticos legisset, cùm assiduum accessum ad se daret, noluit religionis nomine inquietari. Nec omnino insolens hæc venia erat: quippe & ego extra Britannicas insulas natus sum; & externos non eadem quæ indigenas de religionibus leges in Anglia tenent.

Eo vitæ instituto exacti mihi aliquot anni; cùm in dies noui interim domicilij amor increscèret. Tandem adulto desiderio impar, quia illum impetum à ratione esse videbam, à Britanijs moui. mihiq; alia patria ad quam venirem fuit, Vrbs Vrbium Roma. Quæ illæ tam acres ad discedēdum causæ, quæ prudentia suaserit vt fauentem Principem, mihiq; iam decennali mora perspectum, sponte relinquerem, aperire est animus: ne salubriter destinata famæ iniquitas corrumpat.

Omni-

Omnibus animantibus eorum quæ genuere cura est, quam nisi immania, & vltra ferarum sæuitiem ingenia, non ponunt. Sed in hominibus ea vis maior est, quia ad naturam ratio accedit. Si igitur insito studio aut liberis quærimus opes, aut eorum vitam periculis eripimus, breuem istam, & mox alia morte reddendam; quæ digna solicitudo parentibus vnquam erit, vt charissima pignora à Numinis ira, & æternitatis supplicijs tentent arcere? Ego verò iam liberorum aliquot pater, hos securus aspexissem, inter hæreseos, quæ animorum pestis est, quotidiana contagia? tot præsertim exemplis admonitus, adolescentiam quantumcunq; grauibus vitijs vsu placari, si ea publica, & familiaria populo, cernere ac pati assuescit. In Anglia præterea erant nati, vt nec eo priuilegio quo externus fruebar, niterentur. Itaq; si quis me illis casus, aut mihi Regem eripuisset, re-

stabat,

ſtabat, vt repudiata Eccleſia, legi illius regionis paruiſſent; vel non quotidiana virtute, fortes ſimul & calamitoſi extitiſſent. Quidni autem metuiſſem iuuentutis flexibiles annos; quandoquidem quotquot illic hæretici inſaniunt, Catholicorum ſtirps eſt, & eorum plerunq; progenies, qui haud ſecius quàm nunc ego perire ſuum nomen maluiſſent, quàm familiam ad hodierna flagitia ſeruari? Tanto periculo remedium nō erat, ſi in Britannia perſeuerarem. nec prodere ſalutem liberorum ſuſtinebam. Anteuertenda igitur eorum pernicies fuit, eoq; pretio nota tot annis regio nouis ſedibus permutanda.

Sed nec liberis modò cauebam. Mea quoque interfuit demigrare: Eadem & & parentis Optimi memoriam expurgari poſſe videbam apud ignaros ſuæ vitæ. Nā & ille Catholico Patre natus, non vnus è multis Catholicus fuit. Eximia illi pietas, ſyncerus animus;

&

& religionis studio flagrans: quæ bona cum eo consenuere, & nunc, spero, vitam quoque meliorem pepererunt. Cæterùm inter elati scripta repertus est liber, sed ille imperfectus, de Summi Pontificis potestate temporali in Principes. Opus hoc posthumum me tradente Anglia emisit, cùm fortè eadem tempestate Rex in illius disceptationis argumentum vehementer incumberet. Cumque mox Illustrissimus Cardinalis Bellarminus ei refellendo se dedisset, strinxi & ego stilum, arbitratus inhumanum, si Patrem indefensum relinquerem. Sed illo opere edito (dicam liberè) pessimè me habuit, placere hæreticis quicquid hoc erat, & Catholicorum plurimis ægrè esse. Phocion cùm ipsius sententiam populus plausu sanciret, vereri se dixit, ne quid secius de republica censuisset. Nisi enim ad errores plausum sequi non solere. Mihi quoque suspectus hæreticorum fauor. Nunquam nisi ad Ecclesiæ in-

commo-

commoda erigitur. Quin & in ijs scriptis multa aduerti, quæ vel tacentibus cunctis ipse damnarem. Quale illud, quòd Respublicas Ecclesiasticam & ciuilem, ita distingui voluimus, vt non in vnum corpus mistæ, sed sociæ tantùm essent, nec vnicam Rempublicam Christianam facerent, in qua illa spiritum referret, hæc corpus: Illud quoq;, vim Conciliorum aliquot à me ita elusam, vt dicerem parui facienda illa suffragia. Neque enim liberas fuisse illic voces; sed aut viribus Pontificijs ductas, aut earum partium amore cæcatas. Inde quippe fenestram agnosco qua sibi fauere hæreses omnes possint, & de suis iudicibus ferre sententiam. Neque paucos disputatio nostra offendit de exemptione Clericorum. *Et verò exactis diligentius argumentis omnino displicuit in tanta re nouam sententiam à nobis allatam. Clericos à secularibus fascibus esse exemptos, cum tot*

Conci-

Concilia dicant, vsus ostendat, ipsi Principes Regesq; fateantur; Nunquam licitum credam de tanto iure ambigere; Sed omnium minimè isto æuo, quo eiusmodi semper rixas ad Ecclesiæ perniciem hæretici trahunt. Et hæc strictim annotata, aliquando fusius prosequi mihi animus, tempore & ocio meliore. Neque enim mihi satis quæ fusè disserui, hic paucis castigaße.

Dolui igitur, &, quod vnum tūc licebat, nolim factū, *sæpe mecum repetij. Nec aliter acquiescere animus potuit, quàm si pedibus Sanctiss. Patris affusus, iramque deprecatus, ei totū me dedissem; vt nec felix aut sospes nisi eius arbitrio essem. Me Ecclesiæ filium memineram; Primam illi pietatem deberi; &, Antiqui Patris verbis, errare me posse; hæreticum esse non posse. Sic apud me meditatam rem exequutus sum; & successit: Ita quippe exceptus sum ab Optimo Christianorum Patre, vt sci-*

res

res illius esse Vicarium cuius eximia lenitas & liberalitas, super omnia opera eius. *Illud quoque in præcipuæ felicitatis partem visum, quòd Illustriss. Cardin. Bellarmino mihi placatissimo frui licuerit. Tanto Christi athletæ, tot virtutum, tanti ingenij viro, quem præsentes miramur, posteri colent, quis auersus esse possit, aut auersum quis habere, nec sibi indignari qui eiusmodi inimicitias aut susceperit, aut certè meruerit?*

Præter hæc ad discessum incitamenta; erant & alia, nec multò leuiora. Quippe audire assiduè ac videre cogebar, quæ luctu & indignatione grauem animum premebant; vt mirum quoq; esset hæreticis ad tantas mearum partium contumelias meam patientiam durare. Et venit ad me Minister frequens in Aula, nescio an à Pseudoepiscoporum aliquo subornatus, qui diceret sibi pro monstro esse, quòd homo Romanus

nus

funera populorum funeri suo addunt. Qualemcunq; hunc impetum Beatissimis pedibus tuis aduoluo, vt illi ad destinata prælia auspicium faciat Sanctitas tua; quam Dominus, qui terram mitibus, & cælum mundis corde promisit, & hic diutissimè esse felicem, & illic denique semper velit.

LE-

LECTORI BENEVOLO.

IO. BARCLAIVS. S.



T *Aula Britannica, quam reliqui; & Roma, ad quam veni, ſuſpicionem fecerint, edita de ſeculi more hæc ſcripta, vt probarem bona me fide ab Anglia ſeceſſiſſe. Sed omnino mihi alia cauſa eſt, Lector, qui non fictis, aut nouis ſtudijs in hæc ſtudia exarſi. Nec quia ab Anglia abij iſta nunc ſcribo; ſed vt hæc ſcriberem abire conſilium fuit. Primùm enim hoc te abſoluo, me in fide Catholica à puero eductum; neque vnquam demutaſſe. In hæreſes ago perpetuò mihi hoſtes; quarum caſtra non ſu-*

bij, tesseram non agnoui. Nam non moror aliquorum siue maledicta, siue errorem, quibus me in Anglia viuere, in Regis familia esse, idonea ratio videbatur, vt pro hæretico haberent. Longè alius de me sensus eorum, quibus propius crebriusue innotui; cùm nec secreta illic essem conscientiæ pace contentus; sed externis meæ fidei indicijs cauerem oculos Catholicorum offendere. Itaque non furtiuo, non timido more, obibam Catholici viri munera; familiam eadem disciplina imbuebam. Nec aberam modò à Sectariorum templis, sed & Orthodoxorum cœtibus assiduo consortio misceri solebam. Hæc non ego causa iactandi, sed amoliendæ suspicionis. Testes mihi non obscuri, non suspecta fide viri, qui ijs temporibus in Angliam Legati, à Gallia, atque Hispania: Testes, quos à Confessionibus habuere; quibus & ego patribus vsus sum. Dices: Unde hæc tibi in hæretica regione audacia,

cia, vnde libertas? Non ero ingratus Serenissimo Regi, cuius me fauor, ac benignitas prouexit. Cùm me ille inter domesticos legisset, cùm assiduum accessum ad se daret, noluit religionis nomine inquietari. Nec omnino insolens hæc venia erat: quippe & ego extra Britannicas insulas natus sum; & externos non eadem quæ indigenas de religionibus leges in Anglia tenent.

Eo vitæ instituto exacti mihi aliquot anni; cùm in dies noui interim domicilij amor increſceret. Tandem adulto desiderio impar, quia illum impetum à ratione esse videbam, à Britanijs moui. mihiq; alia patria ad quam venirem fuit, Vrbs Vrbium Roma. Quæ illæ tam acres ad discedēdum causæ, quæ prudentia suaserit vt fauentem Principem, mihiq; iam decennali mora perspectum, sponte relinquerem, aperire est animus: ne salubriter destinata famæ iniquitas corrumpat.

Omni-

Omnibus animantibus eorum quæ genuere cura eſt, quam niſi immania, & vltra ferarum ſæuitiem ingenia, non ponunt. Sed in hominibus ea vis maior eſt, quia ad naturam ratio accedit. Si igitur inſito ſtudio aut liberis quærimus opes, aut eorum vitam periculis eripimus, breuem iſtam, & mox alia morte reddendam; quæ digna ſolicitudo parentibus vnquam erit, vt chariſſima pignora à Numinis ira, & æternitatis ſupplicijs tentent arcere? Ego verò iam liberorum aliquot pater, hos ſecurus aſpexiſſem, inter hæreſeos, quæ animorum peſtis eſt, quotidiana contagia? tot præſertim exemplis admonitus, adoleſcentiam quantumcunq; grauibus vitijs vſu placari, ſi ea publica, & familiaria populo, cernere ac pati aſſueſcit. In Anglia præterea erant nati, vt nec eò priuilegio quo externus fruebar, niterentur. Itaq; ſi quis me illis caſus, aut mihi Regem eripuiſſet, re-

ſtabat,

ſtabat, vt repudiata Eccleſia, legi illius regionis paruiſſent; vel non quotidiana virtute, fortes ſimul & calamitoſi extitiſſent. Quidni autem metuiſſem iuuentutis flexibiles annos; quandoquidem quotquot illic hæretici inſaniunt, Catholicorum ſtirps eſt, & eorum plerunq; progenies, qui haud ſecius quàm nunc ego perire ſuum nomen maluiſſent, quàm familiam ad hodierna flagitia ſeruari? Tanto periculo remedium nō erat, ſi in Britannia perſeuerarem. nec prodere ſalutem liberorum ſuſtinebam. Anteuertenda igitur eorum pernicies fuit, eoq́; pretio nota tot annis regio nouis ſedibus permutanda.

Sed nec liberis modò cauebam. Mea quoque interfuit demigrare: Eadem & & parentis Optimi memoriam expurgari poſſe videbam apud ignaros ſuæ vitæ. Nā & ille Catholico Patre natus, non vnus è multis Catholicus fuit. Eximia illi pietas, ſyncerus animus;

&

& religionis studio flagrans: quæ bona cum eo consenuere, & nunc, spero, vitam quoque meliorem pepererunt. Cæterùm inter elati scripta repertus est liber, sed ille imperfectus, de Summi Pontificis potestate temporali in Principes. Opus hoc posthumum me tradente Anglia emisit, cùm fortè eadem tempestate Rex in illius disceptationis argumentum vehementer incumberet. Cumque mox Illustrissimus Cardinalis Bellarminus ei refellendo se dedisset, strinxi & ego stilum, arbitratus inhumanum, si Patrem indefensum relinquerem. Sed illo opere edito (dicam liberè) pessimè me habuit, placere hæreticis quicquid hoc erat, & Catholicorum plurimis ægrè esse. Phocion cùm ipsius sententiam populus plausu sanciret, vereri se dixit, ne quid secius de republica censuisset. Nisi enim ad errores plausum sequi non solere. Mihi quoque suspectus hæreticorum fauor. Nunquam nisi ad Ecclesiæ in-

commo-

commoda erigitur. Quin & in ijs scriptis multa aduerti, quæ vel tacentibus cunctis ipse damnarem. Quale illud, quòd Respublicas Ecclesiasticam & ciuilem, ita distingui voluimus, vt non in vnum corpus mistæ, sed sociæ tantùm essent, nec vnicam Rempublicam Christianam facerent, in quà illa spiritum referret, hæc corpus: Illud quoq;, vim Conciliorum aliquot à me ita elusam, vt dicerem parui facienda illa suffragia. Neque enim liberas fuisse illic voces; sed aut viribus Pontificijs ductas, aut earum partium amore cæcatas. Inde quippe fenestram agnosco qua sibi fauere hæreses omnes possint, & de suis iudicibus ferre sententiam. Neque paucos disputatio nostra offendit de exemptione Clericorum. *Et verò exactis diligentius argumentis omnino displicuit in tanta re nouam sententiam à nobis allatam. Clericos à secularibus fascibus esse exemptos, cum tot*

Conci-

Concilia dicant, vsus ostendat, ipsi Principes Regesq́; fateantur; Nunquam licitum credam de tanto iure ambigere; Sed omnium minimè isto æuo, quo eiusmodi semper rixas ad Ecclesiæ perniciem hæretici trahunt. Et hæc strictim annotata, aliquando fusius prosequi mihi animus, tempore & ocio meliore. Neque enim mihi satis quæ fusè disserui, hic paucis castigasse.

Dolui igitur, &, quod vnum tūc licebat, nolim factū, *sæpe mecum repetij. Nec aliter acquiescere animus potuit, quàm si pedibus Sanctiss. Patris affusus, iramque deprecatus, ei totū me dedissem; vt nec felix aut sospes nisi eius arbitrio essem: Me Ecclesiæ filium memineram; Primam illi pietatem deberi; &, Antiqui Patris verbis, errare me posse; hæreticum esse non posse. Sic apud me meditatam rem exequutus sum; & successit: Ita quippe exceptus sum ab Optimo Christianorum Patre, vt sci-*

res

res illius esse Vicarium cuius eximia lenitas & liberalitas, super omnia opera eius. *Illud quoque in præcipuæ felicitatis partem visum, quòd Illustriss. Cardin. Bellarmino mihi placatissimo frui licuerit. Tanto Christi athletæ, tot virtutum, tanti ingenij viro, quem præsentes miramur, posteri colent; quis auersus esse possit, aut auersum quis habere, nec sibi indignari qui eiusmodi inimicitias aut susceperit, aut certè meruerit?*

Præter hæc ad discessum incitamenta; erant & alia, nec multò leuiora. Quippe audire assiduè ac videre cogebar, quæ luctu & indignatione grauem animum premebant; vt mirum quoq; esset hæreticis ad tantas mearum partium contumelias meam patientiam durare. Et venit ad me Minister frequens in Aula, nescio an à Pseudoepiscoporum aliquo subornatus, qui diceret sibi pro monstro esse, quòd homo Romanus

nus ad conspectum ludibrio habitæ religionis meæ viuere possem. Pressi ego dolorem, & quod tutissimum videbatur, deflexis ad alia sermonibus percunctatorem delusi. Sed ingentibus interim doloribus lancinatus, sæpe ægro animo, & per mæstitiam torpenti, domum redibam. Sciunt illi quorum fidei id secretum credebatur. At dolere nil iuuabat; Et ad auxilium respicienti, erat vna libertas, qua voce, qua scriptis susciperem causam Ecclesiæ, & Serenissimo Regi fidelius quàm multi, liberius quàm vllus, rem efferrem. Verùm hæc intempestiua philosophia erat in Insula degenti. Primam vocem opprimerent hostes. Scriptis nulla venia esset. Quid facerem? nec cessare poteram, nec agere concedebatur. Inter hos æstus, nihil satius visum quàm discessum adornare, interimq; adhuc calidò impetu ea argumenta cogere quæ hoc libro publicum sibi quærunt. Neque enim existimes aut

mihi

mihi huius operis studium recens, aut Romæ imperatum. Ita illi successus sit, vt cogitatum in ipsa Anglia erat, & iam aliqua parte prouectum.

Subduxi me igitur à spectaculo rerum, quarum ipsa memoria ingrata est; & locum inueni, vnde ad Serenissimum Regem ferrem quæ in hac re sub eius nomine peccantur. Neque furtum mei feci: Impetrata Regis pace, publicè cum familia à Britanniæ ora solui.

Ecce autem, vix in aduersum littus excurreram, cùm libellus nescio quis in populum spargitur, atrox in Regem; statimq; ego audio, vt scripti illius vel author, vel saltem procurator. Ita sub meo nomine Religioni inuidia fiebat, vt crederentur Catholici nullis posse beneficijs mitigari, perfidis animis, ingratis, ferocibus. Et ea vis atque iniuria famæ fuit, vt in vicinas regiones spargeretur. Publicum igitur maledictum hic publicè refello. Testis mihi per quem

 *viui-*

viuimus Deus, nihil eiusmodi à me factum; librum, libriq; authorem, adeò ignorare, vt nec illlud hactenus qualecunq; est scriptum meis oculis vsurparim. Aliam mihi legem reuerentia Principis, beneficiorum memoria, mea etiam indoles, dixere. Sed hoc homines commentos existimem, vel maleuolos mihi, vel qui arbitrarentur Romæ commendari non posse a Britannia venientem, nisi in Regem maledictis; scilicet Catholici candoris ignari, quem & religio, & Clementissimi Pontificis mores humanissima Sanctitate præscribunt. In errores, in hæresim, strenuè incumbere mihi decretum. At Regis Maiestatem nunquam sanus violabo. Imò & illius potissimùm causa hæreses odi, quòd tanto Principi, & absque his esset, seculi penè summo, tristissima nocte officiant. Sed de his suo loco commodius.

Habes, Lector, quis in Anglia fuerim; cur ab ea discesserim; quæ me causæ

ad


ad scribendum impulerint. Tu, Beneuole Lector, causæ ac scripto humaniter faue; & Vale. Romæ. Idib. August. M.DC.XVII.



INDEX CAPITVM LIBRI PRIMI.



CAPVT PRIMVM.

  con-

Index

INDEX
CAPITVM
Libri Secundi.

CAPVT PRIMVM.


CAP.



IOANNIS BARCLAII

Parænesis ad Sectarios.

LIBER I.



CAP. I.

Scriptionis istius ratio. Agi de rebus ad salutem necessarijs. Sectarios ita inter se diffidere, vt alij sint alijs hæretici. Necessariò vel eos damnandos, vel damnatos maiores illorum, qui vixerunt in fide Romana Ecclesiæ.



PHALANGIORVM virus, quas vulgò Tarantulas vocant, quanquam Musicæ ope sanabile, ab omnium corporibus non eodem concentu exigitur. Stupent enim

illa tabe perculſi; nec fidibus, quas moris eſt adhiberi, antè mouentur, quàm præcentor in tonum inciderit, qui arcana vi, cum eorum animis conſentit. tunc æger exultare, tunc in pedes attolli, longoq; tripudio ac ſudore, emoliri ſanguinis labem.

Diceres haud diſpari malo læſos quos hæreſis infecit. Ícti enim à ſerpente, qui *calcaneum noſtrum obſeruat*, & vltimo ſopore marcentes, non eodem auxilio leuari omnes poſſunt. Hos in noſtram vitam contemplatio ſanat; illos, in ſuam. Hi manus dant authoritati antiquitatis, illi argumentis, iſti miraculis. Quidni igitur in manus ſumam fides, experturus an forſitan poſſint cum alicuius ex illis malè ſanis ingenio conuenire? Nam nec ſemper à Phalangijs vindicat qui melius canit, aut pulſat; ſed qui accommodatius ad affectus laborantis. Ingratus verò ſim, ſi qualicunque auxilio ceſſem ipſis adeſſe. Vt omittam homines hominum cauſa natos; nec quid prius in vita Chriſtiani, quàm agere Chriſti cauſam: Me ad hoc officium neceſſitudines cum illis olim initæ priuato iure cogunt; Cùm

inter

inter hos diu versato, multos amare, & salutem amicorũ eo studio optare contigerit, vt nec sine aliqua mei parte perire illi possint. Quoties dolore diductus sũ, cùm viderẽ magnas indoles, & debita meliori disciplinæ ingenia, in hanc ruinam ferri! vt ad eorum cæcitatem, vt ad securitatem attremui! Quibus ergo vel meo sanguine medicinam fieri optem, hos quid cesso saltem gemitu, & officiosæ sedulitatis iurgio, ad salutem inuitare?

Sed monendi, medendique ratio, ideò iam magis in arduo, quòd ipsa consuetudine morbum amant; & remedia, vel quia suis auersa ingenijs, odere; vel quia iam toties sibi frustra applicita, contempsere. Nam si ad *Scholasticas disputationes* respexeris, hæ adeò illorum auribus increbruerunt, adeò in familiare commercium litigando venerunt, vt ex suæ contumaciæ vitio illarum virtutem metiti, tanquam quotidianas despiciant, vel pertinaciæ quoque, & resistendi dulcedini, inde peius assuescant. Si verò authoritate priscæ Ecclesiæ, & priscorum Conciliorum, Patrumuè consensu, verberes contumaciam errorum, qui illos

deceperunt; primò verba elicies, plena honoris in Patres, atq; illã Ecclesiã; Mox vbi presſius egeris, ita ſe tuebuntur, vt & eandem priſcam Eccleſiã, quam venerari videbantur, & eadẽ priſca Concilia, & Patres eoſdem, quorũ ſanctionibus, & exẽplis ſe credere, ac viuere fingebãt, dãnare non dubitẽt. Quippè vbi eorũ ſentẽtijs ſuas hæreſes premi vidẽt, ore mutato, ab illius antiquitatis reuerentia fœdè diſcedunt. Recuſant, ambigunt, damnant, mala fraude ſeſe fingunt ad Scripturas recipere; negantq; vel Patres, vel Concilia, locum habere, niſi cum verbo Dei ſcripto conſentiant; mala, inquam, & ridicula fraude; cùm neque Patres, neque Concilia, à Scripturis abire voluerint; nec quæramus, Patribusne ſit atque Concilijs, an Scripturis, maior authoritas. (Nã quis ſanus id quærat?) ſed hoc tantùm; quotieſcunque iſti à Patribus, Cõcilijsq; diſſentiunt, in declaranda fidei norma, & ſenſu Scripturarum, vtris potius ſit credendum; priſcis illis & Sanctis, an iſtis modò natis. Nam de ea quæſtione, proh pudor! hoc ſeculo, vel maximè, vel ſola litigamus. Et mox plura de hac illorum

frau-

fraude. Tantùm hic moneo, minus efficacia esse in illos ab Ecclesia, Concilijs, Patribus, tela; quòd fraudulenta eiusmodi rixa, à tantorum Iudicum iusto consessu prouocant ad Scripturas. Neque deinde vtilior in illos machina à Scripturis, quam nullius interpretationi addicti ipsi exponunt ad suæ disciplinæ libidinem.

Igitur mihi visum his armis quibus toties icti tamen vulnus dissimulant, argumenta admiscere, quibus percipiendis non tam scientia opus, aut assueto ad subtilitatem contentionis animo, quàm puro, & à natura rectè formato. Ea enim quia liquida, nec perplexa disceptatione egentia, capi ab omnibus possunt qui bona fide agent. Et pro conclamatis iam habeo cæteras mentes, quibus placet per fas ac nefas erroribus semel à se laudatis incumbere.

Sed priusquam disputatione committimur, paucis intelligant quàm necessaria lite certemus. Illinc enim solutiores videas multos eorum, quod contentiones nostras existiment, plus subtilitate disputandi creuisse, quàm necessitate salutis.

lutis. Deum eundem esse aiunt, quem vtrique veneramur: Nos ab eodem Redemptore criminum veniam, vitamq; in cælis expectare; Magnis his fidei apicibus coniunctos, quamquam aliјs in partibus dissociamur, in eandem felicitatem recipi posse. Hinc ex illis haud pauci, tanquam tralatitia pugna esset, reconciliare religiones, præsertimq; eos Eucharistiæ ritus concipere sunt aggressi, in quibus Caluinistæ cum Catholicis consentirent. Ipsi Serenissimo Britanniarum Regi (in Orat. ad Ordines Regni Anglicani. Ann. M.D.C.V.) magnopere displicet Puritanorum illorum crudelitas, qui omnes Catholicos à cælo proscribunt. Non dico hanc omnium Sectariorum esse sententiam, sed certè multorum; eorumq; potissimum, qui Catholicorum pietatem contemplati, tot eleemosynarum, ieiuniorum, orationum homines, credere horrent in æternum occidere: Vel qui Patrum lectione comperiũt, Primitiuam Ecclesiam in aliquot saltem rebus stare à nobis, & ab ipsis dissentire. (Tunc enim licet ad nos non prorsus accedant, tamen & de se frigidius, & mitius

tiùs de nobis ſentire incipiunt.) Vel denique qui non mala de nobis opinione imbuti, ab hæreticis Principibus, Vrbibusve, ſic pendent, vt non videatur fides Catholica cum eorum fortunis conuenire. Hi enim rem omittunt ad amuſſim exigere, & vt conſcientiæ interdum latranti paſtum obijciant, tàm ſibi, quàm nobis, propitium Deum fingunt. Sagenam ſcilicet omnis generis piſcibus plenam non ad littus explorari, ſed vt farta eſt, recipi totam in cælum, ridiculo ſui fauore exiſtimant.

Nos verò cum Sanctiſſima Eccleſia proclamamus, iubemuſq; cum Moſe hæc cælum audire, hæc terras; nullam Deo communionem eſſe cum Belial; Illos ita à nobis diſſentire in fidei rebus, vt has fruſtra quæ nos manent felicitatis ſedes expectent. In tam grandi diſcrimine excitentur illi præſertim, qui aut in ſua fide aliquid deſiderant, timentve, aut boni aliquid de noſtra augurantur. Seriò cogitent, quid de hereticis ſenſerit ſemper Eccleſia; & quàm hoc ipſum hæreticum duxerit, credere ad cælum peruenire hæreticos. Si verò Aërius Antiquis hæreticus

fuit, quòd inter cætera pro mortuis nollet orari, vt nec hi volunt; si Eunomius, qui aiebat sola fide nos iustificari, vt & hi docent; si Basilides, & Iouinianus, qui dignitati virginitatis coniugium æquabant, vt & isti; si Vigilantium, eò quòd Sanctorum Reliquias illo loco haberet quo isti Nouitij, adeò Antiqui duxere hæreticum, vt & Gennadius (Lib. de Eccles. Dogmat. Cap. LXXIII.) de Christianorũ numero illius Sectatores amoueat; & Vigilantianũ opponat Christiano; quis hæreticos esse non sentiat, qui eosdem, & plures, & grauiores errores coëgerunt?

Sed quò hìc vetustatis authoritas? aut quid opus Catholicorum voce? Interrogare liceat Lutheranos quid de Sacramentarijs sentiant, id est, hæreticis, qui hodie potissimum vigent, quos in Anglia, Scotiaque, Protestantes, & Puritanos dicimus; Hugonottos in Gallia: Germani Zuinglianos, aut Caluinistas dicunt. Nonne hi omnes calculo Lutheranorum hæretici? quod atrocitatis, aut odij verbum in eos non profundunt? quibus armis, quibus stilis, non inter se deseuiunt? Non refero Lutheranorum

verba, quæ in Caluiniſtas paſſim, & reliquas Sacramentariorum ſectas acerba, immania. maior in iſta re ſit authoritas ipſa Lutheri. Is igitur, in Theſibus quas edidit cõtra Doctores Louanienſes, Theſi XXVII. dicit, *hæreticos à ſe cenſeri omnes Sacramentarios, qui negant corpus, & ſanguinem Chriſti, ore carnali ſumi in venerabili Euchariſtia*. Et in poſtrema ſua *Confeſſione De Cœna Domini*, diſertis verbis ait, Sacramentarios, eorumq; diſcipulos, *hæreticos eſſe, Sacramentorum hoſtes, æternumq; damnatos*. Cùm nuper ex duobus Germaniæ Lutheranis Principibus, vnus ad Catholicos tranſijſſet, ad Caluiniſtas alter, materq; illius qui Catholicos erat ſequutus, & ipſa Lutherana, audiret Lutheranos de hac filij mutatione querentes; At nonne ſaltem, inquit, conſultius egit, quàm ille qui Caluiniſtarum ſectam inter ſuos inuehi paſſus? Neq; ſola ſic ſentit: In Lutheranis eſt rarus (& hoc ſumus experti) qui non ad Papiſticam fidem, vt vocant, quàm Caluinianam malit accedere. Adeò denique certum eſt Lutheranis Caluiniſtas eſſe hæreticos, ac nobis hos ipſos Luthe-

ranos.

ranos. Rumpebar animo, cùm viderem persuasum Principi viro, magno illi, sed primæ institutionis vitio, & ipsa deinde consuetudine, à Catholica fide auerso; Protestantes, ac Puritanos posse, etiam ex Catholicorum sententia, ad salutem peruenire. Hoc illius animo, versuta suorum adulatio, & pudenda aliquot nostrorum inseuit. Et fauentem sibi sententiam vltrò amplexus est. Sed ò sciat, & fallor, aut vtiliter sciet; neque peribunt pro illius salute tot vota, tot fletus.) eum qui credere ausit pertinacem Protestantem posse saluari, hoc ipso à Catholica fide excidere. Neque hanc Ecclesiæ sententiam esse obscuram. Omnes in ea esse Catholicos: eorum neminem hoc nescire, dissimulare neminem posse; nisi qui vel Theologiæ expers, vel timidè, aut ambitiosè illius gratiam veritati præuerterit.

En igitur aleam grandem, dignumque discrimen quod non incuriosi prætereant: scilicet Catholicos omnes errare: imò & Ecclesiam Græcam, imò & omnes Christianorum Ecclesias, mille & amplius ante Lutherum annis, errasse;

vel

vel nunc ipsos exitiabili peste infectos. Saltem aduertant quod ex istis certissima ratione conficitur: Vel perituros scilicet illos, vel perijsse illorum Maiores, ac Nostros, quos nec ipsi negauerint, mille vt minimum annis in eadem fide vixisse, quam hodie Romana docet Ecclesia. Vtrum velint, solerter recogitent: quippe alterutrum necessaria veritate concluditur. Nam quis neget contradictoria ista esse, aut ad fidem spectare, in qua labi est hæreticum? *Imaginum cultus qualem Romana docet Ecclesia pius est, Deoq; acceptus:* Et, *Imaginum cultus, qualem Romana docet Ecclesia, impius est, & idololatria infamis*. Item, *Pontifex Romanus est Christi Vicarius, Petriq; successor*. Et, *Pontifex Romanus est ille Ioannis in Apocalypsi, & ille Pauli ad Thessalonicenses Antichristus*. Etiam, *In Eucharistia verè ac realiter Christi corpus est*. Et, *In Eucharistia Christi corpus verè, ac realiter nō est; sed in ea substantia panis manet: neq; illic est, sed duntaxat ad dexterā Patris in cælo, humanitas Christi*. Cùm ex his alterum asseruerint nostri maiores, alterum isti; certumq; sit alter-

utrum

utrum hæreticum esse; vel hos constat esse hæreticos, vel maiores vtique nostros in hæresi esse defunctos. Nam facessat vana ratio qua illos excusant; tunc eiusmodi fuisse caliginem, vt ipsis impunè errare licuerit. Videte quid sequatur ex hac absurda clementia. Nos Idololatras vocant, quòd Eucharistiam adoramus cultu latriæ, quòd Crucis, Sanctorum, & Angelorum imagines veneramur, & colimus, eo modo qui in Romana docetur Ecclesia. Certum autem (neque hoc negant) idem olim factitasse nostros hos Patres. Itaque si nos Idololatræ, ergo & illi. Si verò illi Idololatræ, quid auribus, mentibusve Christianis indignius, quàm eos excusare, ac rudibus seculis hoc ipsorum crimen ascribere? aut omnino censere, dilui hoc infandum Idololatriæ crimen posse, vel temporis conditione, vel loci? & impunè licere interdum à Naturæ lege recedere? Scio *inuincibilem ignorantiam* (vt Theologi vocant) *à lege positiua excusare*; rectè vtrumque ius statuit, *impossibilium obligationem nullam esse*. Scio sanctissimum Iobum non fuisse Iudæum, & quà religio

Chri-

Christiana non peruasit, satis hos declinare inferum ignem, qui Naturæ legem obseruãt, quã in omnium cordibus Deus sculpsit. *Illuminat omnẽ hominem veniẽtem in hunc mundũ*. Sed hanc saltem obseruare, necessarium omnibus ad salutem. Idololatriam antem prohiberi in primis ipsa hac lege quis ambigit? Quis in Catholicis, inquam, quis in hæreticis, negauit, hoc lumine, quam legem naturalem dicimus, quęque mortales vbique omnes tenet, idololatriam esse proscriptam? Excusatur tamen hoc crimen, aut non excusantur nostri Maiores, si idololatria est Eucharistiam eo modo adorare quo adorat Romana Ecclesia, si idololatria est ante Crucẽ, imaginesq; procumbere, eo adorationis genere, quod Romana præscribit Ecclesia. Euigilent homines Sectarum illarum. De cælo agitur, de Deo, de salute: quicquid comminiscãtur, quicquid ludant; non possunt eorum Maiores Christiani non esse damnati, aut ipsi non damnari.

Ex illis quoque multi, non adeò de sua religione securi sunt, quin in ea multa desiderent, maximè eruditi, vel inter

nos


nos fortè versati; quò iam facilius me audiant de viæ periculis admonentem, quam in æterni supplicij pignus exorsi sunt. Nam & si cum lenioris indolis Sectario ages, vt plurimum fatentem habebis, quædam in sua Secta esse præter sensum antiquorum, & receptam in veteri Ecclesia mentem; hæc in suis mutata se cupere; his neutiquam adhærere. Ita loquentem primæ inter hos notæ virum, cùm secreti ageremus, sæpe audiui; illiusque sum misertus, quòd inter tot sacrorum varietatem, tot sectarum discrimina, nondum homines toto Orbe inuenisset, quorum tandem religionẽ bona fide laudaret. Cum alio agens, & ipso erudito, monebam vt ab hæresi ad nos secederet; Sine verò, inquit ille, aduentare Iudicij diem; videbis quàm à recta fidei norma cultores vtriusque religionis abfuerint. Adeò illos vel superbia corrupit, vbi proiecere parendi, credendiq; in Ecclesia disciplinam, vel in incerto sunt postquam ab regula, & fidei portu soluerunt. Næ salutem floccifaciunt, quibus placet in tanta tempestate fucata securitas. Quippe vel Romani damnamur, damnantur & Græ-

Græci, damnati sunt & nostri Maiores innumeri, qui in nostra fide vixerunt; vel isti Protestantes, Hugonotti, Puritani, & id genus nouæ Sectę, vt de Arianis Athanasius dixit, *proculdubio in æternum peribunt*.



CAP. II.

Omnibus istius æui Sectarijs à Luthero esse originem. Quis vir fuerit. Quàm impiè vixerit, scripserit. In causa Lutheri verti causam cæterorum Sectariorum. Eos vel impiè desciuisse à Luthero, vel Lutherum à Deo non missum, aut instructum.



IGITVR exploraturi suas sectas, ab ouo incipiant. *Mala arbor non facit fructus bonos*. Ex quo autem surculo prodierunt? Non ago maledictis, nec factionum odia exerceo; sed veluti sequester rem contemplor.

plor. Agebat in ocio Ecclesia, & fortasse ob nimiam pacem, *necesse erat vt scandalum veniret. Verumtamen væ homini illi per quem scandalum venit;* Cùm ecce Lutherus, iustis, vt initiò videbatur, argumentis, in quorundam auaritiam inuectus est. Sed cùm modum non teneret; statim in illum ira bonorum, indignatio Ecclesiæ, censura Pontificis; statim & ille factionem solicitat, ac facilè cogit. Neque enim defuere qui ád eum accederent lenocinio nouitatis, & odio Sacerdotum, quorum multos ignauia in ea regione corruperat; inclinatione quoque mortalium, à seueriori disciplina quæ in sancta Ecclesia est, ad infinitam libertatem tendentium, ad quam iste proclamabat, deletis ieiunijs, exterminato pœnitentiæ Sacramento, abrogatis castitatis & obedientiæ votis, sublato denique peccatorum discrimine, Purgatorij metu, cæterisq; per quæ iure à peccando deterremur. Erant & alia quæ ipsi fauorem conciliarent; nempe doctrinæ opinio, quæ in minus erudito seculo non illi difficilis; & licentia, cuius ipse exemplum superbis, aut curiosis animis fecit, ex

proprij

proprij ingenij libidine de Scripturis, deq; Ecclesia, iudicandi. Maior omnibus istis causa, Domini ira, qui destinatis sibi temporibus velut obdormit, dum *inimicus homo zizania bono semini superseminat*. Quicquid sit, isti Sectarij negare non possunt, sibi à Luthero originem. Vna antea in his Europæ populis (si aliquid in Bohemis excipias) nauis erat, quæ Petri remigio omnes veheret. desiluit ille è scapha, multiq; eum sequuti, *qui non erant ad vitam æternam præordinati*. Et vel confessione suorum, sæua mox ira, & Ecclesiasticorum odio ferox, multò longius recessit à nobis, quàm sub primæ defectionis initia ab eo agitatum.

Neque putes, Sectarie, siue Caluinista es, siue eos quoque prægressus, in te nil agi cum quæritur de Luthero. Frustra dicas non pro tanto authore vobis hunc esse, vt ab ipso diuertere nefas sit; fidem vestram eo non niti: Frustra hæc, inquam, cùm & omnes de illius stirpe vos sitis; & aut eximiũ Deo fuisse necesse sit, si restaurandæ Ecclesiæ est delectus; aut vos longè deceptos, si ad hoc primæ refor

mationis officium, quod omnes illi tribuitis, missus non est.

Errauerat enim, vestra sententia, mille & amplius annis Latina Ecclesia, Abyssina, Græca, & quotquot alijs nominibus appellantur. errauerat, inquam, in fide. Iam non dico quàm hæc immanis assertio, qua Christi ad Ecclesiam promissum euertitur, *ecce vobiscum sum vsque ad consummationem sæculi*; quæ & deteriorem Iudaica Synagoga facit Ecclesiam; cui inter corruptos mores integra fides mansit, Domino teste, etiamq; iubente, (Matth. XXIII.) ex Pharisæorum, Scribarumq; doctrina vitam institui. Nihil hic, inquam, de assertionis illius amentia. Sed fingamus, vt somniatis esse; Iudaicam nempe fidem inter tot populi temeritates, semper puram in Sacerdotibus, & corpore Synagogæ constitisse; At posteaquam velo sublato rerum veritas vmbræ successit, & Pontificem Christum habuimus pro nobis assiduè orantem, Christianos vix quadringentis annis in officio durauisse, adeoq; pessundatam fidem, vt deinceps nullibi publicè syncera coleretur; Orbem ea caligine fuisse sepul-

pultum mille vt minimùm annis; Voluisse tandem Deum in splendorem Euangelium reddere. Hic iudicia inuoco vestra, omniumq; mortalium, an tanto destinatus officio credi possit, nisi qui *potens verbo & opere*, non Eliam modò, sed Moysen, quàm magnitudine muneris, tàm signis æquaret, vni Christo secundus? Quippe Moyses legem duntaxat cæremonialem à Deo acceptam tradidit vni genti: Elias continendis fidelium animis in flagrante idololatria Iezabelæ delectus est: At istum gratiæ legem à Christo conditam, & temporum vitio ab omnibus publicè Ecclesijs abdicatam, tandem Orbi reddere oportebat. Quis porrò ille vir tantus? par Eliæ, par Moysi, prouinciæ destinatus qua maiorem nemo hominum ante Christum, aut post Christum sortitus est? Scilicet iudicio vestro Lutherus, quem hoc seculo primum constat hanc quam vocatis *reformationem* aggressus.

Age ergo; quorum miraculorum, quarum virtutum homo fuit? Miraculum ab eo editum necdum vllus commentus est. modò pro miraculo non sit, tot mor-

talium ad illum defectio. quo miraculo & Arius, & Pelagius clarus fuit, & longè clarissimus Mahometes. Quì igitur scias à Numine eum missum, & quidem ad tantam rem, tamq; insuetam; nempe vt ipsi magis quàm Pastoribus nostris, de fide, de moribus, de Scripturis crederemus, & pro lupa nobis esset ea Ecclesia, cui antea honos erat tanquam Domini sponsæ, Dei hæreditati; matri fidelium? *Ordinaria iurisdictio* illa non fuit. Monachus erat, homo priuatus, homo religiosis votis astrictus. *Extraordinariam* verò fuisse quo argumento probes? Nihil præter miracula, quibus eiusmodi missiones aut asseri possint, aut credi. Vnde (Exodi iiij.) Deus miraculorum edendorum potestatem Moysi facit, *vt credant*, *inquit*, *quod apparuerit tibi Dominus Deus Patrum tuorum*. Ipse Iesus, vt se Christum esse probaret, miraculorum, quæ multa patrabat, authoritate vsus est apud Ioannis discipulos (Matth. xj.) *Cæci vident, claudi ambulant, &c.* Imò apertè (Ioan. v.) *Ipsa opera quæ ego facio testimonium perhibent de me.* Sequuti Christum Apostoli, Christi virtute, non rem segnius miracu-

lis

lis promouere quàm verbis. *Neque enim* (inquit Hieronymus in Cap. lxv. Isaiæ) *potuissent omnes gentes in tam breui tempore credere, nisi signorum miraculis fides eorum quodammodo esset extorta. Loquentibus enim, & clamantibus Apostolis, & Apostolicis viris, Dominus signorum magnitudine respondebat.* Quod verò miraculum Lutheri Apostoli, vel Caluini? quod Apostolicorum virorum Lutheranorum, Caluinistarum, Anabaptistarum? Nullum omninò. At hæc tamen quam afferebant nouitas, prorsus insignis, prorsus insolens erat; si vlla denique à condito Orbe, digna quæ probaretur miraculis; Omnes scilicet Orbis Ecclesias, plus decem seculis defecisse publicè à vera Christi fide: Insanire Latinos, insanire & Græcos; Scripturas ab illis non probè intelligi, aut exponi; Orbi illos suis artibus suis figmentis imponere.

Magna res, & ex diuinæ institutionis clementi prudentia; noluisse vnquam Deum, vt sibi temerè crederetur. Hæreses autem omnes ipsa hominum pertinacia, studijsq; creuisse; non miraculis, non certa ratione; sed animi impetu, & am-

bitiosa dulcedine, quæ ad proprij iudicij commenta humanam superbiam inuitat. Hinc & factum hæreseos, id est, electionis nomen. At lex Mosaica, & postea Christiana, quot miraculis instituta, ac deinde firmata? quàm augustus Elias miraculorum maiestate, cùm populus videretur *claudicare*, ac nescire *si Dominus esset Deus, aut si Baal*? quanto miraculo Paulus adactus desijt *contra stimulum calcitrare!* quot miraculis olim insignis Ecclesia, dum inter gentiles exurgeret, & nunc quoque (ad hoc rideant licet dignissimi fletu Sectarij) dum in India propagatur; ac etiam sæpenumero in Europa?

Destitutus ergo Lutherus miraculis. At num saltem pro miraculo illius vita fuit? Res loquetur. Presbyter, ac Monachus erat, deuinctus spontaneis votis, diu in religiosis ædibus educatus, cælebs, in templo assiduus. Eiusmodi fuit, quandiu in nostra Ecclesia hæsit, quam corruptam, babylonicam, adulteram vocat: Vbi verò castigare scilicet nostros errores exorsus est, seq; *vir reformatus* ab Ecclesia nostra duxit, voto neglecto, & veste

pro-

proiecta, quam coram Deo & Angelis in perpetuæ integritatis symbolum sponte assumpserat, se polluto ac illegitimo thoro immergit: & ne aliquid impietati deesset, in societatem libidinis, quam coniugium appellabat, puellam Deo sacram, Deo nuptam, accersit ac violat. Desunt in hoc facinus verba; dicam verius cruces. Omninò & passim & publicè Orbi imponitis, Nouatores, aut creditis quòd olim publicè Ecclesia ad quadringentesimum Christi annum. Intra hæc tempora vixit Tertullianus, Ambrosius, Hieronymus, Basilius, Augustinus, Chrysostomus; ne in pluribus morer. Atqui ex Tertulliano passim habes, iam eo tempore fuisse solemne; vt se aliquæ virgines Deo sacræ, perpetuæ virginitati obstringerent. *Quæ* (inquit, lib. 1. ad vxor.) *nulla formæ, vel ætatis occasione pressæ maritis sanctitatem anteponunt. Malunt enim Deo nubere. Deo speciosæ, Deo sunt puellæ.* Et lib. de veland. Virginib. Cap. xiij. *Nupsisti enim Christo; illi tradidisti carnem tuam, illi sponsasti maturitatem tuam.* Neque res ad libitum rescindenda, sed voto sancita, cui se omnis sexus

multi dabant. Inde ait (De veland. Virg. Cap. xiij.) qui ad illam professionem accederent, *ipsam naturam consecrare*. Atqui Deo *consecratum*, cui fas sit ad alios vsus auertere, & quidem omnino illi consecrationi contrarios? Ambrosius porrò adeò multus de velandis ab Episcopo, cõsecrandisq; virginibus, vt plurimi Sectariorũ, iam ab eo tempore Virginitatis vota non negent in Ecclesia fuisse solemnia. Inter cætera, De Instit. Virg. cap. xvij. orationem concipit, super velanda iam virgine. *Egredere itaque tu Domine Iesu in die sponsalium tuorum; suscipe iamdudum deuotam tibi spiritu, nunc etiam professione*. Quæ autem, illa professio? *Votum* omnino. Vnde ad eiusmodi Virginem (Tract. ad Virg. Deuot. cap. ij.) *Melius*, inquit, *fuerat te non vouisse, & facere; quàm vouere, & non facere*. Audite verò Hieronymum (lib. 1. aduersus Iouinianum.) *Et si nupserit virgo non peccauit. Non illa virgo quæ semet Dei cultui dedicauit. harum enim si qua nupserit, habebit damnationem, quia primam fidem irritam fecit*. Et paulò post: *Virgines enim quæ post consecrationem nupserint,*

rint, non tàm adulteræ sunt, quàm incestæ.

Coiuit igitur cum illa Lutherus renascentis Euangelij Lucifer, cum qua potuit esse adulterium, potuit esse incestus, coniugium esse non potuit. Quis autem ipse erat? nonne Monachus? nonne Sacerdos? nonne conceptis verbis abdicarat se libertate coniugij? Augustini auctoritatem recipitis, Sectarij? fingitis saltem. Ecce quid ille (lib. I. de Adult. coniug. Cap. XXIV.) *Quod cuiquam antequam vouisset licebat, cùm id se nunquam facturum vouerit, non licebit; si tamen id vouerit quod vouendum fuit, sicut est perpetua virginitas.* Quid quod (lib. De bono viduit. Cap. xj.) *peiora adulterijs* coniugia vocat, quæ quis emisso castitatis voto contraxerit? In eandem sententiam Ioan. Chrysostomus, Epist. vj. cuidam Theodoro sic loquitur, qui monasterij voto deserto mulierem duxerat domum. *Quamuis frequenter hoc ipsum nuptias voces, ego tamen adulterio illud peius existimo.* S. Basilius Proœm. Monast. Constit. *Itaque qui à mundi curis liber esse cupit, nuptias veluti pedicas quasdam fugit: his autem relictis, vitam*

suam

suam Deo consecrat, & castitatem profitetur, vt neque facultas ipsi sit conuersionis ad nuptias. Fuit igitur ille maritus, illa materfamilias? Imò si Augustino credimus, ille *adultero peior*; Et vt in pari negotio Basilius ait, lib. De Virginit. *horrendo sacrilegio Christi sponsæ adulter efficitur*. Et illa, vt loquitur antiquissimus Scriptor, *corruptio Satanæ, scortum execrabile, fanum immunditiæ, tugurium Diaboli*.

Nec dixerint Protestantes, Puritani, Hugonotti, nihil sibi cum illo Lutheri facinore. quanquam enim in multis ab eo diuersi, in his tamen sordibus, in istis sacrilegijs, fœdè consentiunt. Plerique earum sectarum authores, plerique præcones, per idem flagitium genio indulsere; cùm vel ipsi Sacerdotes ac Monachi essent; vel sacris iungerentur virginibus; vel hi sacri, & hæ etiam sacræ; & sic ad Lutheri exemplum vota vtrinque soluerentur. Quid dico, indulsere? imò hodie passim indulgent. Res nota, res frequens, & quam (horribile dictu) Sectariorum hodie nemo ex suæ religionis norma non ferat ac laudet. Crebra quoque

apud

apud illos, & infanda in eam rem exempla. Secedat Sacerdos ad illos, secedat Monachus omnibus votis astrictus, statim in pignus abiuratæ fidei nostræ oblatam à nouis fratribus vxorem accipiet. Secedat ad illos virgo Numini sacra, virgo velata, confestim ex illis reformatis maritum inueniet. Neque illis flagitijs annuunt tantùm; sed id laudant, sed in pretio habent; & in adulterijs cælestibus infamis triumphat Ecclesia. Iactare tamen ausint, se in ea fide esse, in qua Christianus olim Orbis, Hieronymi, Augustini, Ambrosij, æuo? O miserè cæcos, vel qui vna iactura famæ curam, salutisque perdiderint!

Dirum hoc nefas, sed interdũ & ludicro mixtũ: quippe capti ea illecebra nonnulli ex Clero, pergunt ad illos, fidei mutationem simulant, sub coniugij nomine libidinem explent; inde rursus ijs elusis, se ad pœnitentiam in claustra, aut templa recipiunt. Adeò vt has sectas, tanquam lenocinium exercentes, non iniuria impurorum Sacerdotum lupanar appelles. Et hæc est scilicet Ecclesia noua, pura, candidata, Deo vnicè sua fide consecrata.

Hæc

Hæc Lutheri miracula; illa vitæ integritas: Sed nec purius hunc ſcripſiſſe, quàm vixiſſe exiſtimes. Omitto quæ prodidit in ſui cum diabolo commercij fidem; *ſe probè cognitum habere diabolum; pluſquam vnum fruſtum ſalis ſe cum diabolo comediſſe, ſibi ſæpius condormire diabolum quàm ſuam Catharinam*. Pleni eius libri, fœdis, & vinum, vomitumq; redolentibus verbis; vt (pudet dicere) *ſtercus, merda, ſus, porcus*, gemmæ ſint, quibus paginas ſuas notet. Quid non autem in Principes infamis tenebrio? quos (lib. *de ſecul. poteſt.* &, *Contra duo Cæſaris mandata*) ait, *vt plurimum eſſe, vel præcipuos moriones, vel deterrimos nebulones; ſtolidos, fatuos, inſanos*; addit, *Turcam decies his meliorem & prudentiorem*. Iam verò vt paſſim inſanijt petulanti ſuperbia? *Diuina maieſtas* (inquit, in libro contra Angliæ regem) *mecum facit, vt nihil curem ſi mille Auguſtini, mille Cypriani, mille Eccleſiæ Henricianæ contra me ſtarent*. Et, in defenſione ſuæ verſionis noui Teſtamenti, *Si Papiſta tuus*, inquit, *multa vult garrire de hac voce, Sola, ei confeſtim*

re-

respondeto: Doctor Martinus Lutherus vult sic habere, aitq; Papistam & Asinum esse vnum. Sic volo, sic iubeo, sit pro ratione voluntas. Nolumus enim esse Pontificiorum discipuli, sed magistri, ac iudices. O fatuum caput! Ac vt effusæ libidinis authorem agnoscas, dicit (lib. de vita coniugali) *omnino necessarium esse omnibus rei veneree vsum, magis etiam quàm cibum, potum, somnum*; Ausus est vlterius progredi vir impurus, & inter Christianos ad Mahometicam licentiam proclamare (Serm. De Coniug.) *Si*, inquit, *non vult vxor, veniat ancilla.* Sed abeamus à sentina infamis Apostatæ.

En verò mortalem, cui corrigendæ Ecclesiæ totos mille & ducentos annos errantis cura commissa est. A Luthero veniamus ad Zuinglium, Caluinumque, & cæteros sectarum authores. Miracula petimus; miracula nulla habent; authoritatem petimus, cur ipsis potius quàm alijs sit credendum. authoritatem nullam habent, nullam, inquam, potiorem quam olim Arius, aut Ario pares: solas nempe Scripturas ad illorum arbitrium

trium sensu donatas, quæ omnibus hæreticis pro prætextu, gladioq; fuere, quo se & alios mactarent. Ne diabolus quidem (vt rectè Hieronymus aduers. Lucifer.) à Scripturis abstinuit, Christo insidiaturus; *scriptum est, quia Angelis suis mandauit, &c.*

Iam autem à Gallis, à Batauis, à Britannis hæreticis peto, cur nec Lutheri vestigijs, nec præceptis insistant; cùm hunc ferant eruendis Ecclesiæ erroribus à Numine destinatum. Respondent, inchoasse Lutherum, & multa vidisse; sed hos plura, qui ipsi successerunt. At repono; Ergo hoc totum quod Lutherus, cæteriq; post illum, ad expurgandam contulere Ecclesiam, non diuinum, sed humanum opus esse: quandoquidem, vt humana artificia solent, illa *reformatio* initio rudis, successu temporum, & ingeniorum polita est. In rebus quæ humana prudentia constant, videas ortum, & deinde incrementum, ac propemodum omnes ætates. Inceperit aliquis rempublicã componere, aut indagare syderum motus; succedent, qui illius errores deprehendant, qui rectè inuentis dent vltimam

ma-

manum; adeò vt alicuius siue artis siue, scientiæ, vel author, vel peritus aliquis dici possit, & tamen in illa non parum errauisse. Sed ratio in fide diuersa. Fides vnica virtus est; & quæ ni tota habeatur omnino non habetur. Non diuidi, inquam, potest; vel est tota, vel nulla. Neque enim dixeris, Arianos, Manichæos, Pelagianos, aut vllos omnino hæreticos veram fidem habuisse (quanquam in aliquot rebus rectè senserint de Christo, de fide.) Si non veram; ergo falsam, ergo non à Deo, qui vnius fidei vnus est author. *Vnus Dominus, vna fides, vnum baptisma*. Vnde rectè, & vniuersè Ambrosius, in Symbolum Apostolorum: *Quicquid hæretici in synagogis suis, hoc est in conuenticulis Satanæ loquuntur, non est doctrina Domini, sed blasphemiæ, & dæmonum præstigia sunt*. Nec tamen ignorabat nullos fuisse hæreticos, qui in omnibus fidei rebus errassent.

Si Lutherus est igitur restaurandæ fidei delegatus, non opinor negabitis eum vera fide instructum. quòd si huic vera fides, cur vobis aliæ sectæ placent?


cent? cur ab eo diuertistis? Si vnica fides, inquam, si in fide Lutherus; vos qui extra Lutheri fidem, estis hæretici. Forsitan vobis ista excusatione placebitis; quod hoc veluti crepusculum fuerit, superuenienti mox sole, id est ampliori lumine in Caluini, & symmistarum ingenijs illustratum. Nugæ. Sapientia Dei longè aliam viam insistit: Neque Moyses legem tradere Dei nomine est exorsus, quam deinde Iudæi suo iudicio castigarent, aut augerent: & vos ipsi adeò proclamatis Christi legem in initijs suis fuisse perfectam, vt fingatis ex his primordijs vos omnia velle metiri. Vnde igitur Numini noui hi mores, vt hominem quem reuocandis in viam errantibus destinabat, non melius quàm fumida & incerta face instruxerit? Sed & hæc excusatio ferri vtcunque posset, si non aliter à Luthero discreparetis, quàm quòd ille pauciora notasset, & plura Caluinus, cæteriq; qui inter vos ab illo dissentiunt. At verò Caluinus non modò pauciora, vel plura Luthero astruxit in fidei rebus, sed Luthero aduersa atque contraria; Adeò vt si Lutherus rectè de fide sensit, Cal-

uinia-

uiniani sint manifestò hæretici; sin Caluinus in religione bonus author, Lutherani hæretici: Nisi fortè harum sententiarum vtraque potest esse Catholica: *In Eucharistia* (asserit Lutherus) *vera corporis Christi substantia realiter adest cum substantia panis:* At Caluinus; *In Eucharistia nulla alia substantia est præter substantiam panis*. Videant igitur in Anglia Protestātes, in Gallia Hugonotti, & quotquot alias à Luthero hæreses colunt, an credere malint, Lutherum accepto à Deo lumine inuexisse *reformationem Ecclesiæ*; se autem hæreticos esse; An se potius Orthodoxos; & Lutherum (quem sciunt, ac iactant istius mutationis authorem) fuisse hæreticum. Næ vtrique hæretici esse possunt; & reuera sunt; vtrique Orthodoxi esse non possunt. Arianis & Eunomianis (inquit Sozomenus; Lib. VIII. Cap. I.) cùm inter se dissentirent, non pauci discipuli exciderunt. *Multi enim ex mutua inter ipsos discordia, eos de Deo non rectè sentire iudicabant*. Ita erit de hac Hydra, quæ ab vna stirpe luxurians, incerta, multiplex, plerunque sui hostis.

Nunc paucis explorandum, quænam

causæ propagarint istius seculi sectas, & quid illa, vt vocant, reformatione effe-ctum sit.



CAP. III.

Hæresis qua ratione in Germania inualuerit, in Anglia, in Scotia, & Galliam tetigerit. Quibus nunc imposturis à suis Ministris decipiantur Sectarij.

LVTHERVS in Germania huic pesti initium dedit, priscorum hæreticorum vestigia ingressus, & per Principum aliquot amicitiam fidentius scelera ausus. Populus autem non Lutheri primùm amore, sed suorum Principum qui Luthero fauebant, illam causam amplexus; mox deinde in hæreseos partes suas sponte efferbuit, non in Germania tantùm, sed vbicunque illa

pestis

pestis insinuata est, legum amore ac studio, quas in effrænem licentiam iste ferebat. Nam vt olim Montanus, Manichæus, & alij plures, inter seueros Christianorum mores, ex nimia seueritate hæreses instituerunt; Ita iste ad desidis seculi genium, multaque, ac plerunque indocta quiete marcentis, licētiæ sectam efformans, multorum vitijs, atque plausu exceptus est. Nihil mirum veterno corruptos in diuersis regionibus homines, tam consonam suo genio legem amplexos? Et verò si *confessionem auricularem* non damnasset, nisi in Quadragesimale ieiunium esset inuectus, soluisset continentiæ vota, opera meritoria derisisset, certam salutem promisisset inter peccata viuentibus, vnquam tanto successu, & propè torrente funestæ victoriæ, tot terras inundasset.

Pauci inde anni effluxerant, cum peruasit in Angliam lues, & aditus illi ex Regis Henrici VIII. libidine. Non hìc lugubrem, vulgatamq; historiam superflua narratione recenseam. Sed illinc tamen intelligas quàm rectis initijs hæc se nouitas insinuauerit, sub furiosæ libidi-

nis Rege, & ex profanis, superbisq; cupiditatibus cuncta metito. Neque tamen Henricus reiecta authoritate Pontificis Luthero assensus est. Tunc enim in Anglia vt Pontificis *Primatum* asserere in Maiestatis criminibus numerabant; ita dicere *in Confessionem auricularem, in Transubstantiationem, Missasve priuatas*, hæreseos flagitium erat, & flammis piabatur. Non probauit ergo Henricus nouitiam Sectariorum fidem, sed veterem Catholicorum proiecit; vtriusque particeps, & vtrique infestus; cùm nouam animæ suæ, & veterem carni sciret aduersam; fingeretq; sibi Ecclesiam ex voluptatum licentia, & securitate regnandi. Ac tunc quidem veluti in crepusculo, desierat esse dies in Anglia, sed nondum planè nox erat.

At Henrico defuncto, cùm Edvvardus filius regnaret, Ordines Regni, qui Henricianam religionem publico scito firmauerant, aliam statim fidem nouo iterum consilio finxerunt, sibiq; asciuere Protestantium nomen; longè tamen à Germanicorum Protestantium secta. Edvvardo quoque defuncto, sub Maria

Regi-

Regina ſententiam ijdem Ordines mutauerunt, Catholica fide poſtliminio reuocata. Regina Maria morte ſublata, cùm Elizabetha in regnum ſucceſſiſſet, ecce & nouum Ordinum ſcitum, quo iterum exularet Catholicæ ſanctitatis profeſſio.

Ita Anglicana religio plus decreto Ordinum, quàm Concilijs, Scripturisque ſancita eſt, ad temporum mutationes flexibilis, ex Principum libidine pendens; humanaque ne dicam ridicula viciſſitudine in regnum inducta; non legitima ratione, non diuini cultus cauſa, ſed vt tempori, rebusque politicis illa larua ſeruiret. Et his artibus quamquã afflicta eſt, non tamen exciſa Religio. Plurimi reſtant, *quorum genua non ſunt incuruata ante Baal*, & qui *abſcondunt de prophetis Domini*, *& paſcunt eos pane & aqua*; plures quoque ſi liceret, ad nos ſtatim tranſituri, quos metu & mulcta diuulſos à nobis, quotidiana mentis ſupplicia exercent. Vincet Chriſtus, vincet Eccleſia. Ea vetus eſt Catholicorum hæreditas. Poteſt Britannia cum gemitu præſentium, cum ſpe futuri, Michææ verbis vti (Cap. vij.) *Conſurgam, cùm*

sedero in tenebris, Dominus lux mea est. Iram Domini portabo, quoniam peccaui ei, donec causam meam iudicet, & faciat iudicium meum: educet me in lucem, videbo iustitiam eius.

De Scotiæ verò casu, ne satis quidem dissimulant Sectariorum historiæ. Qui euerterunt Catholicam illic fidem, constat vt plurimùm nefarios extitisse, seditionis igne succensos, quem tunc erecta in Reginam factio, & à factiosis præmia, alebant. Vt de cæteris sileam, Knoxium (quem Beza Apostolum Scotiæ vocat) non impium modò fuisse, sed Magum, Serenissimus Britanniarum Rex sæpe magnis argumentis asseruit. Fuit autem furiosus is turbo (neque hæretici negant) qui in diuinam, humanamque Maiestatem defæuijt, templis fœdo incendio corruptis, & Aede qua Reges humari moris erat, non diruta modò, sed, fato etiam barbaris pudendo, in stabuli vsus versa. Regina quoque Maria, inclyta fœmina, deiecta, fugataque, donec ad carcerem deueniret, ex quo, ò nefas! ad tortorem producta est. Hæc fuere miracula; hæc beata mutatio, quæ in signum renascen-

tis in

tis in Scotia euangelij, non vt Aurora, sed vt Cometes emicuit.

Galliam autem quis nescit quàm funestæ rationes isti malo implicuerunt? Ad paucos & inualidos illa tabes pertinebat, cùm nõnulli Principum ad eos secessere, tristi ambitione, vt factionem, viresque pararent in æmulos, quos in aula, sub Francisco II. & Carolo IX. pleraque posse ægre ferebant. Quis tunc autem propagandi illius Euangelij modus? bella, tumultus, Galliæ vastitas, in sua viscera regnum armatum: barbara in Sacerdotes sæuitia, Sanctorum, ac Regum solicitata monumenta, & cineres sparsi, data ad terram pulcherrima templa, & omnino deformata beneficia antiquorum.

Hæ sunt hæreseos cunæ, quas in varijs prouincijs Principes viri asserendæ dignitati, aut libidini prouexerunt. Nec plus tamen illorum authoritas diffudit has sectas, quàm quorundã hominum superba scientia, qui curiosius, atque audacius, quàm pressius sanctiusve Musis omnibus miscuerunt Theologiæ aliquam vmbram. Sibi illi præter cęteros sapere visi, Sacer-

dotes, tanquam rudis ineptiæ viros nunc ridere, nunc ſpernere; Ingenij quoque famam quærere rati, ſi cum faſtu incuſarent ſuperiorum ætatum caliginem, ſi recepta à maioribus ſacra, vanitatis, ineptiæ, impietatis inſimularent. Quid multa? in pleriſque tunc locis pro rudi, aut hebeti erat, qui non aliquid ſeu publicè, ſeu clàm, in veteres ritus mutiret. Et hinc probatum eſt, hæreſim meretrici ſimilem eſſe. Recenti, primaque ſpecie, amatores multos habet; vbi rugas ætate contraxit, ſi vi conſuetudinis veteres fortè tenet; at nouos non inuitat. Ita Prouincias quæ primo incendio ſuperſtites fuerunt, ſtare in Catholica fide videas, nec in exoletam nunc inſaniam rapi.

Iam illis extinctis, tam qui primi decepere, quàm qui primi ſunt capti, in pertinaciæ hæreditatem propago ſucceſſit, cui pro lenocinio quod iam aboleuit adhuc iuuenculæ & meretricantis hæreſeos, eſt non leuior ad hanc inſaniam ſtimulus, educatio, & inueteratum in Eccleſiam odium; tum opinio ſapientiæ eorum, qui à nobis defecerunt, & partium amor qui eorum parentes implicuit. ti-

mor

mor denique disciplinę, quæ apud nos viget, abstinentia, ieiunijs, Pœnitentiæ sacramento, & omnino humilitate parendi. Accęssere Dæmonis fraudes, Ministrorumque, quos vocant, seu versuta, seu ignara nequitia, qui infandis plerunque calumnijs imponunt Ecclesiæ. Quæ non illi mendacia de Pœnitentiæ Sacramento? non aliud ad *absolutionem* requiri, quàm vt tua peccata apud Sacerdotem pronuncies; absolutionem futurorum scelerum dari, & quæ cætera aut credunt temerè, aut impiè fingunt. Quàm immania de *meritorijs operibus*, quàm falsò iactata? Non arbitrari nos per merita Christi, sed per nostra, patere nobis cælum. Quid de veneratione imaginum, de cultu Sanctorum? Fanda illi, & nefanda de nobis: & vix vnquam quid credamus scire populum suum sinunt. Sed hæc mox omnia, vbi de hæresibus sigillatim.

Nunc vt scias quàm de his calumnijs iustè queramur; ecce rem sub amplissimis testibus certam. Serenissimus Magnæ Britanniæ Rex quendam ex Episcopis suis rogabat, ecquid Catholici de forP nica-

nicatione sentirent? veniale an mortale peccatum id ducerent? Retulit ille, inter Scriptores Catholicos esse, qui fornicationem in venialibus numerarent. Hìc ego, cùm indignationem non tenerem, negaui probatum inter nos authorem extare, qui se hoc modo libidini patronum præbuerit. Ecce autem dum inter nos litigamus, intrat cubiculum Episcopus alter, haud mediocris inter Sectarios famæ, ad quem Rex versus, hic, inquit, disceptatur, vtrum Romani Catholici fornicationem venialem existiment an mortalem. Barbam ille demulsit, ceruicemq; fastidiosè concutiens, tanquam de re certa ratus iudex pronunciaret, venialem (inquit) Rex Serenissime, venialem. O hominem, vt clementissimè dicam, nostri odio cæcum! Et ille, cogitabam, aut probus censeatur aut doctus? ex ore illius, ex verbis, ex fide, populus discat quid prisca Ecclesia docuerit, quid Patres antiqui, qui nostram huius seculi religionem ignorat, in quam tamen, ò pudor! quotidiana lite inuehitur? quod est obuium nescit; quod nescit impugnat; scrutatur antiqua, & in re clarissima, in re

quo-

quotidiana, tam fœdè mẽtitur, aut errat?
Quid his mortalibus facias, qui criminibus apud populum, noſtram Eccleſiam onerant, à quibus longius ipſa abeſt, quàm eorum ſynagoga? Facile & leuiora retulerim, ſed in quibus eandẽ ſortem agnoſcas deluſi per fabellas, ſeſeque vltrò in nos acerbantis ingenij. S. Bruno, miraculo motus hominis, qui cùm ſanctitatis opinione floruiſſet, poſt obitum tamen reddita voce, ſe *iuſto Dei iudicio damnatum* aſſeruit; confugit ad eremum, & Carthuſianorum diſciplinam condidit. Detorquent rem ad inuidiam noſtram ex Sectarijs aliqui; aiunt fateri nos, ipſum Brunonem eſſe, qui pronuntiauerit ſe in inferis eſſe ſepultum; & ſic Carthuſianorum Ordinem, qui tantopere nobis placet, à perdito & *damnato* homine ortum. In S. Franciſci vita ſcriptum eſt, Iudaicæ perfidiæ virum, voluiſſe Franciſco inuidiam mouere; ſtatuiſſe igitur media concione oſtentare carnium fruſtum, mentiriq; eo cibo Franciſcum ieiunij die veſci; ſed has carnes orante Franciſco, ne ſcandalo locus eſſet, in piſcium ſpeciem & naturam deflexiſſe. Quid & hìc


Se-

Sectarij quidam? Aiunt ita nos referre historiam, vt Franciscus his carnibus verè sit vsus; illiusque peccatum hac carnium in pisces Metamorphosi tectum. Ita leuia, ita seria, fingunt, versant, vt per omnia crescat in nos contemptus ac odium. Hæc de multis pauca sufficiant, sæpe ab ijs me gemente iactata, quos redire ad animi sanitatem publicè Ecclesiæ interest; & priuatim illorum.

Quid porrò mireris auersos à nobis eorum animos quos hæ ineptiæ pascunt, qui assiduo in Pontificem odio imbuuntur, qui credunt nos Antichristi cultores, nos idololatria infames, nos patronos libidinum? Illi sunt laquei, quibus captæ miserè mentes sibi verius quàm nobis ereptæ sunt. Sed hos facilè nodos excusserint. Velint modò sine præiudicio, nostræ causæ æquitatem agnoscere. Iam facesset æmuli odij furor, & cum Augustino dicent (Confess.Lib.vj. Cap. ix.) *non docet Catholica fides quod putabamus, et vani accusabamus.* Cùm hęc enim animorum auersio non alio magis quàm consuetudine constet, quid aliud dici possit, nisi eorum prudentiæ esse imperare sibi

re sibi ipsis, nec affectum spontè feruentem sine ratione audire? Alioqui non sanari magis queant, quàm qui fluminis torrente direptus nolit in fluctus eluctari, & aliquo sudore ad ripam peruenire.

De hæreseos Parentibus, de cunabulis, de pastu, iam diximus. Priusquam pressius accingamur in illius errores, dicendum de effectu, deq; publicis signis, quibus possit deprehendi, an à Dei Numine, an à Satana sit hæc tanta in religione mutatio.



CAP.



CAP. IV.

Ex moribus, disciplina, pietate, constare, apud nos, esse Christi Ecclesiam. De publica Sectarum impietate.

DEVM semper in illis quos sibi segregauit hominibus, pietatem illustrius, quàm in cæteris voluisse clarescere, quàm humanis argumentis conijcias, tàm diuina lectione compereris. Nam & Noë solicito cultu, vltra cæteros tunc mortales, Deum propitiauit. Et Abraham in idem studium successit, sanctissimis cæremonijs à Cananæis distinctus; deinde Moyses & ipse cum commissa sibi gente quot ritibus, quotque votis Numini consecratur? Cùm postea lege impleta *Dominus noster* noua omnia faceret, non plus de cære-

cæremonijs ſublatum eſt, quàm additum veræ ac ſynceræ pietati fidelium, qui orationi, ieiunijs, omnique pœnitentiæ generi addicti, ſibi, & alijs, Deum placabant. Hinc illa Chriſtianæ pietatis miracula, quæ illuxerunt omni æuo Eccleſiæ, opes, voluptates ſpernere, in eremum fugere, abſtinere licitis etiam rebus, ad ſubtrahendas corpori vires, addendasq; ſpiritui, peruigilia orationibus tranſigere, ipſam carnem cum animo conſecrare, & quæ cætera amor Dei, & gehennæ timor facit. Itaque vt ſimulata ſæpe religio in Dæmonis cultoribus vano fulgore emicuit, ita ſemper in familia Dei, id eſt, in Synagoga primùm, deinde in Eccleſia, viguit celebris & publica pietas, continuo animi flexu in Deum erecta. Hoc ſui amoris τιμιώτερον nunquàm Deus à ſuis amouit. Nunc porrò videamus, quàm omnia in melius, Lutherus, Caluinusque, & iſtiuſmodi Authores retulerint, & Prouincijs quæ ad ipſos ſeceſſerunt, quantum pietatis acceſſerit.

Liceat inde ordiri, vnde ipſi reformationem, vt vocant, penè vbique aggreſſi ſunt, nempe à Monachorum cauſa, cæte-

risque

risque professionis religiosæ familijs.

Monachorum & Religiosorum plerisque in more est, media nocte *surgere ad confitendum tibi Domine*, in cilicio pœnitentiam agere, macerari ieiunijs, victima quotidie incruenta Deum Patrem propitiare mortalibus. Quo hæc oculo aspexistis Sectarij? omnino quo vestri parentes, id est, prisci hæretici, quibus insigne odium in Monachorum pietatem, insignis crudelitas (vide in Historia Ecclesiast. Socratē Lib. IV. Cap. XVII. & XIX. Sozomenum Lib. VI. Cap. XX.) Non tulit tam seueram sanctitatem nouitia vestra libertas. Quàm latè potuistis excisa sunt à vobis pietatis hæc pignora. Tot vota, tot preces Dei glorię subtractę, tot exemplis, tot monitis fraudatus populus, tot erepta egentibus bona. At verò, Nouatores, Si Monachi vestro iudicio in moribus, aut fide errabant, cur non ijs eiectis mortales alios substituistis, qui his sanctis officijs, purioribus moribus, & restituta fide, sed eadem etiam pietatis sedulitate incumberent? Cur non saltem erogata hæc in pauperes bona, pauperibus olim data, & diuino cultui à vestris

ma-

maioribus mancipata? Accidere hæreditatem Dei placuit, ſpoliare Hieruſalem, corruptisq; teſtamentis, legatis, beneficijs antiquorum, qui hæc Deo ſacrauerant, diri ſacrilegij veſtras Prouincias, veſtras domos aſtringere. Hoc vt Dei opus putem, vt renaſcentis Euangelij fructum? Nuſquam erit, Sectarij: præſertim cùm non alicubi tantùm, ſed vbicùnque inualuiſtis, eo more in Eccleſiaſticas opes ſæuitum ſit. Germaniæ Principes, ſiue Lutheri, ſiue Caluini religionem ſequuti, redactis in fiſcum Monaſterijs, ſuos cenſus heu miſerabili, & forſan Tholoſana denique præda, auxerunt. In Anglia diſtributæ ab Henrico VIII. Eccleſiæ poſſeſsiones inter nobiles viros: Vt eos communione facinoris teneret, & ad ſcelus quod commodum ipſis erat, fideliùs coniurarent. Ita Epiſcopatus triſti auaritia diſciſſi, direpta funditus, & priuatis vſibus attributa Monaſteria, Prioratus, Eremiticæ domus. Quid Archiepiſcopatus Cantuarienſis? quid Epiſcopatus Vvintonienſis, quid Elienſis? Vmbræ, ſi ad priſtinas opes ſpectes. Certè Abbatiam Vveſtmonaſterienſem, Re-

gum ſepulchris deſtinatam, (quam quibuſdam Canonicis attribuerunt) vt ille dicebat, Herculem fecere. *decumam partem ei dedere, ſibi nouem abſtulerunt.* Iam vbi in Scotia, in Batauis, in Dania, in Suedia, illa bona? Rapta vt plurimum, & à Clericis tranſlata in Laicos. Atqui hæc Deo donata ſciebatis. Si diuino peculio (vt nugamini) abutebantur, & vos Charitas Dei agebat; decuit caſtigare vtentium mores, non auferre à Deo peculium.

Sed eſto. Deiecta à tot templis pietas, ſaltem in cæteris quæ veſtris vſibus reliquiſtis, an ſupra nos viget? Agebam cum perito Lutherano, & eodem argumento pugnabam: Vi veritatis perculſus, De hoc, inquit, non diſputo: ſcio refriguiſſe in vrbibus noſtris pœnitentiam, orationes, ieiunia, ex quo à vobis receſſimus. Ad tam ingenuam hominis confeſſionem illachrymatus ſum, quòd ſic poſſet ſentire de ſuis, & à nobis diſſentire; id eſt, *quòd videns non videret, & audiens non intelligeret.* Exuamus partium ſtudia, remq; ſpectemus. In vtra parte credas diligentius obſeruari, quòd docuit

Christus (Lucæ xviij.) *quoniam oportet semper orare, & non deficere*? Plus quadringentis Monachorum, ac Religiosorum millibus apud nos est, quorum hi ex præscripto Ordinis sui quaternas, hi senas & amplius horas, *orando & meditando* quotidie impendant; qui pompis, qui fastui, qui seculi curis vnum Christũ prætulerint. Non nouo nunc exemplo, hæreticis Monachorum pietatem obijcio. Et hoc ipsum Augustinus Manichæis obiecit, ingenti studio, plurimis verbis. Lib. 1. De Morib. Eccles. Cathol. Cap. xxxj. Quæ non ille præconia, quas non de Monachis laudes? Et hæc pluribus à nobis deinde cõmodius. Iam verò quis quotidie Laicorũ ad publicas orationes est numerus? Vt omittam dies festos, quibus ex præcepto adsumus sacrosanctæ Oblationi, quanta profestis diebus multitudo ad templa, ad altaria, ad Eucharistiam? Vespertinæ mox preces, vt pomeridianis horis multos exercent! De ieiunijs autem nec nobiscum illi certauerint. In plerisq; monasterijs perpetua penè ieiunia, Christianorum more, quorum nobis pietatem prisci Patres descripsere. Quadragesi-

mali porrò ieiunio omnes obstringimur. Feria sexta, & sabbato abstinemus à carnibus; vt omittam Sanctorum vigilias, & tempora Ordinandis Sacerdotibus destinata. Quid de Eleemosynis, Xenodochiis, Orphanotrophijs dicam? quid de salubribus supplicijs, quibus apud nos *castigatur caro rebellis, & in seruitutem redigitur?* quid de temporibus, quibus religiosius redimus ad Deum, ac præcipuè septimana, quam sanctam appellamus, memoriæ Passionis Dominicæ consecrata? quot tunc Eleemosynæ, quot vota, quot preces? quàm inde multorum in melius sancta mutatio?

Nec reponas; publica hæc apud nos, & in ostentationis vicinia esse. Illis verò placere, priuatæ, & sese tegentis pietatis officia. Quasi enim & nos quoque non multa secretò, nec sinistram plerunque celemus quod à dextera misericorde peragitur. Sed iam de publicis indicijs agimus, quibus colligi possit, an collapsam Ecclesiam reparasse dicendi sint, an in eam potius esse grassati. In illis indicijs vix aliud luculentius publica pietate; quæ ab ipsis passim excisa est. Ingemui-

muimus, an horruimus dicam, ad cuiusdã Bataui verba, qui sociũ preces fortè fundentem stolidè obiurgans, Quid tu sedulò, inquit, cum hoc precandi more? age, age, sis syncero modò corde, & desine ab hac orandi meticulosa ineptia. Et hoc forsitan ille ex patriæ suæ ritu, vbi his horis quæ stante Catholica fide solemnes vespertinis precibus erant, audiuntur nunc organa ad solam hominum temerè in templis obambulantium voluptatem, nulla Domini mentione, nullis orationis vestigijs.

Equidem dixerim fidem ac pietatem, nulli amplius regioni quàm Galliæ debere. Vt vetera omittam, hodie innumeri illic viuunt, non fucata, aut libata sanctitate eximij. Sed abominor næuos, quos hæreseos impia, & luctuosa ambitio regioni sanctissimæ suffundit. Quippe multi in gente subtili, & sæpe curiosa inter has contentiones sibi credere assuescũt, fideiq; momenta proprij iudicij lance librare. Quosdam illic, cùm se Catholicos iactent, in hæreticis ambitiosè laudare ingenia, aspicias, ac etiam quas hi amant propugnare sententias; eorum

amicitias non modò ad ciuile commercium, sed & plusquàm probè deposcere. Nec ex hæreticis desunt, qui in multis suos damnent, & ad nos accedant. Sic vtrique se decernunt arbitros rerum, nescio qua animi vana fiducia. Alia deinde pernicies, ex hac iudicandi licentia; vt cùm diu se supra religionis rebus in vtrumque versauerint, quærant tandem an omnino sit vlla religio, an vita cælestis, an anima immortalis. Quos deinde ad infanda hæc studia mens infelix deduxerit; hi paulatim vix Deum vllum esse, aut vix præterea aliquid credunt. Pudet dicere; Vereor vt hæc sensim se publicè hæresis prodat. Nam & ingenti contemptu sacrorum ab vnis partibus ad alias transilire iam quibusdam pro ludo est: Spes lucri, spes dignitatis, vltionis dulcedo arriserit, non deeerunt qui hæc credant vili emi, si non amplius quàm religionis mutatione constiterint. Nec dudubium eiusmodi mentes hæresis vitio ad tropica illa actas. Sciunt me vera dicere illi etiam in quos dico. Et hæc deflent innumeri ex Gallica gente viri, incorrupti, antiquæ fidei, morumq; illorum,

quos ò Deus, extincta hæresi, cæteris quoque qui ab ijs defecerunt, restituat.

In Anglia dum insinuaretur hæc pestis, obiecere aliquem fucum hæretici, quo penè nesciret miserum vulgus ab auorum religione se deijci. Illic igitur, quanquam in Caluiniana secta, abrogare non visum vesperarum, cęterarumq; quas vocamus Horàrum solemnia, aut potius vmbram illarum. Hoc quippe duntaxat in Episcopalibus templis, & in vno prętcrea, aut altero fortè, quod attribuere Canonicis. Sed & in ipsis languida omnia: & pro monstro sit, luce profesta de populo illic plures ad orationem procumbere. Sæpe nec vnum inuenias. Qui populi autem mores? Nullus adeò festus dies, quo si à templo abfuerint, in leges Ecclesiæ necessitate salutis obseruandas peccasse se credant. Iam cogita quos effectus pariat illa libertas in rudioribus animis, aut ocio, vel voluptate marcentibus. Serui autem, ancillæque, quas apud nos nefas est die Dominico, aut ob aliam causam festo, à sacro officio absuisse, vt rarò & incuriosè adeunt sua templa, vt licenter ab illis abesse consuescunt? Hæc nos sci-

mus, hæc toto decennio ſumus experti.

Iam de licentia addam quam vbique ſibi fecere Sectarij, violandi Quadrageſimam; diebus promiſcuè omnibus cibis vtendi, quoſcunque gula optauerit? Ac plerunque nec laborant excuſare, vel tegere, belluinos hos mores, & qui rudiorum animos, tanquam exleges, paulatim efferauerunt. Imò vltrò hæc rident Eccleſiaſticæ diſciplinæ præcepta; ac etiã ſuperſtitionis accuſant; nihil reueriti *primitiuam* ſaltem Eccleſiam, & Martyrum ſanguine purpuratam, quæ docuit hæc eadem quæ nos hodie obſeruamus ieiunia, non conſilij modò eſſe, ſed omnino pręcepti. Sed. hæc paulò poſt ſuo loco; vbi & Miniſtri Angliæ refutandi, qui obſeruari apud ſe quadrageſimale ieiuniũ, cęteroſq; abſtinentiæ dies, aſſerere audent, impudenti, ludicroq; mendacio.

At Sectariorum aliquos orationibus, & eleemoſynis deditos dices. Haud negem. Non enim de vnoquoque nobis hìc ſermo; ſed in genere, apud vtros Pietas (quàm vulgò *deuotionem*, & Domini timorem, appellamus) in pretio magis ſit; & num illam iſti reſtauratores Eccleſiæ

auxerint, an verò perdiderint. Nec quid mirum eorum aliquos exerceri eiusmodi pietatis officijs. Natura est quæ ad ea hominem propellat: & quàm multi in hæreticis bona indole, rectisq; quantum fert Natura ingenijs? Ne in Ethnicis quidem desunt, aut Turcis, qui hęc vltrò faciant, & quidem Numinis causa. Sed si cœtuum omnium veluti corpus spectes, videbis hæc propria Ecclesiæ Catholicę bona esse; in illis autem sectis, ea esse in priuatis aliquot dona Naturæ, non religionis in genere. Sed quo ego argumenta? Ipsi Luthero, Caluinoq; fidem habete de vestrorum hominum impietate, Sectarij. Lutherus in Postilla domestica Ienæ impressa, conc. 11. Primæ Dominicæ Aduentus; de doctrina sua loquens: *Mundus*, inquit, *ex hac doctrina quotidie redditur deterior; iam homines singuli septenis diabolis obsidentur, cum antea* (in Papatu) *vnico tantum diabolo obsessi fuissent. Diabolus iam cateruatim in homines ingreditur, vt nunc in tam splendida Euangelij luce, sint auariores, callidiores, iniustiores, crudeliores, proteruiores, multò denique deteriores, quam prius in Pa-*

in Papatu fuerant. Caluinus in Cap. xj. Daniel. verſ. xxxiv. *In exiguo illorum numero, qui ſeſe ab idololatrijs Papatus ſubduxerunt, maior pars plena eſt perfidia & dolis. Præclarum quidem zelum ſimulant; ſi tamen intus excutias, reperies plenos eſſe fraudibus*. En vel confeſſione hoſtium enormes Sectarios, tunc etiam cum ipſa Sectarum exordia, recenti ac præcipuo zelo flagrare deberent. Quid nunc de ijs credas, exhauſto impetu nouitatis, ſtudijſque vetuſtate tepentibus?

Vnde hoc autem Sectarijs frigus, & à pietate diuortium; ratio eſt non vel vna, vel abdita. Omitto quòd hęreſeos vitio à gratia Dei ſecluſi ſunt, ſine qua quid ſuperba, & ſapere quidem credens, ſed reuera eneruis & cæca mortalitas poſſit? tùm etiam quòd multi has ſectas ipſius licentię cauſa ſubiuerint; aut de ſuę religionis integritate incerti, & certi tamen in ea hærere, plus fraudandæ conſcientiæ laborant, quàm colendæ pietati. Alię pręterea cauſæ ſunt, eæq; liquidò ex ipſarum hæreſeon vitio natæ. Nempe, quòd doceantur, *Fidem ad ſalutem ſufficere; opera*

ra meritoria lusoriam esse rem, & commentum Papistarum; Certos esse se de salute: Peccata omnia Electorum venialia esse. Næ sapiunt, si dum hæc credunt indulgent liberius genio, nec animum cogunt in arctam disciplinam, quæ voluptates secludit, & corporis pondus assidua pietate cogit ad cælum. Nam si certò crediderim me esse *electum, & prædestinatum ad vitam*, ideoq; quicquid deliquerim mihi à Deo certissima venia esse donandum, cur impetum animi vllum frangam, quod diuitias, dignitates, aut delicias promittat? Si credo nullum opus *meritorium* esse, cur orando, meditando, cur vigilijs, cur ieiunijs, domitum animum exerceam, corpus emacerem? Hi sunt fontes ex quibus soluta procurandæ salutis incuria in multis hæreticorum profluxit. Neque minus nocuit sublata disciplina, de qua nos paulò ante, quæ in Ecclesia Catholica pro fræno est fragili naturæ, & semper in terram propendenti; nempe ieiunia, abstinentia à carnibus, statuta tempora, quibus religiosius ad Dominum redeamus. Nostros enim hos mores peruicaci superbia contemnũt Sectarij;

ctaiij; quaſi certis aliquot diebus auſteri, credamus toto deinde anno licere à Deo, ac virtute recedere. Alij negant hæc ardentioris pietatis opera, ſub annuam Dominicæ paſſionis memoriam procuranda, ne nobiſcum qui tunc maximè Deo vacamus, videantur vlla in re coniuncti. At quis eiuſmodi ſententiarum eſt exitus? nempe vt delicatuli ſitis, Sectarij; & nec noſtro, nec alieno tempore, mollia corpora, & iam ſcilicet de ſalute certa, vexetis. Lutheranus nobilis (hæc ſecta plus cæteris de veteri diſciplina retinet) ipſo die Paraſceues cùm viam obiret, fortè Caluiniſtarum templum obuium habuit, ratusq; ad memoriam illos Dominicæ paſſionis conueniſſe, equo relicto ſe in illorum cœtum intruſit. Ecce autem longè alia Miniſtri theſis erat; nēpe de nuptijs ad Canam Galilææ: nimirum vt nobis in ſalubres lachrymas merſis, illi è contrario lætiori concione à triſtitia ſenſum auerterent. Excanduit Lutheranus, remq; poſtea amicis ſic retulit, vt eam riſu & indignatione exciperemus. In Anglia nunquam hilarius conuiuia exercent, omni carnium & ferculo-

rum


rum pompa, quàm feria sexta. Ludus ille magnatum est, ac veluti pietas, sese à Papistis scilicet abhorrere testantium.

In pauca rem conferam. *Ex fructibus eorum cognoscetis eos.* Si Lutherum, si Caluinum, cæterosque Sectarios vis Numinis sacra ad restituendam Ecclesiam Orbi dedit; omnino & ijs qui ipsis sunt assensi, addenda luculentius pietas fuit, quàm alijs qui in Romana hæserunt Ecclesia. At contra omnia: Nos corrupti scilicet; nos (vt aiunt) Romanis poculis ebrij; tamen humiles, timidiq; salutem speramus, & de ea, ex Scripturarum, & Ecclesiæ norma timemus. nos castigando corpori, frænandisque animis incumbimus; Eucharistiam ministramus quotidie; ieiunia, atque abstinentias sedulò colimus, quas olim pastores Ecclesiæ statuerunt: multa ex nobis millia habemus, quæ diu, noctuq; assiduis precibus Deum propitient: multi ex nobis propter regnum Dei castrantur, subeunt paupertatem, voluntatis propriæ dulcedinem abijciunt, nos denique *propter verba labiorum Domini custodimus vias duras.* Illi autem qui à nobis recesserunt, illi candidi,

didi, atque columbuli, Ecclesiæ & Scripturarum sunt iudices;de salute, vt certa, non laborant; ieiunia, pœnitentias, afflictiones carnis, quę à prisca Ecclesia indictæ sunt, pro nihilo habent, & ad libitum à seipsis volunt indici. castimoniæ vota passim violant, ac quod magis est, publicè docēt posse impune violari. Quid cætera enumerem? O miseram, pudendamq; restaurationem Ecclesiæ! *Tu Domine constitue* Sectarios, vt loquitur Augustinus, *ante faciem suam, vt videant quàm turpes sint, quàm distorti, & sordidi, maculosi, & vlcerosi. Impingas eos in oculos ipsorum, vt inueniant iniquitatem suã.*



CAP.



CAP. V.

Ex præcipuis Sectariorum fundamentis necessario sequi, vt cuilibet sit licitum sibi religionem fingere. Illos non alterius generis argumentis inniti, quàm Arianos, cæterosque priscos hæreticos.

HABEMVS igitur istius schismatis duces, non insignes fuisse miraculis, non inusitata sanctitate conspicuos. Sed nec illi maioribus, aut alterius generis telis vsi, quàm quibus veterum seculorum hæretici, quorum in inferis animæ, & in terris damnata memoria. Liceat enim interrogare Sectarium, cuiuscunque ille sit sectæ, quis concinnauerit illam credendi formulam cui adhæret. Caluinus omnino, aut Lutherus, vel homines ea-

dem,

dem, aut ſimili doctrina imbuti; qui ab Eccleſiæ noſtræ corpore, cui antea adhærebant, auulſi, iudicia, & opiniones ſuas, id eſt, vt ipſa hæreſeos ſignificatio indicat, hæreſes ſunt ſequuti. Hos tu, Sectarie, ſequi audes? quæ intemperiæ, quæ dulcedo nouitatis, aut iudicij tui ſuperba fiducia, vt illis hominibus credere malis, quàm antiquæ Eccleſiæ, à qua ipſi digreſſi ſunt, quæ per vniuerſum Orbem eſt ſparſa, quæ non minus quàm iſti nouitij fidē Scripturis vult haberi, quæ tot ſeculis tuos Patres regenerauit, aluit, ſepeliuit?

Quòd ſi hoc ius eſt, deligendi magiſtros quos in fide ſequamur, an me poſſis arguere ſi Arium, aut Pelagium ſequi volo, eodem prorſus modo in noſtram pugnantes Eccleſiam quo veſtræ hæ ſectæ; controuerſiam nempe mouentes de authoritate Eccleſiæ, & de ſenſu Scripturarum? Certè ſi Proteſtantibus quales in Saxonia, aut Haſſia vigent adhæres, iniuria in eos accenderis, qui Proteſtantibus in Anglia adhærebunt; quamuis tu Lutherum ſequaris, illi Caluinum, & ſic de *eſſentialibus rebus* ſit inter vos diſſenſio. Cur enim tam ipſis non ſit ius arbitrari

trari rectè Scripturas apud ſuos exponi, quàm tibi apud tuos? Imò ſi & nouam ego ſectam in Orbem inuexero, inueneri mq; diſcipulos, qui aliquod corpus, ſeu Eccleſiam (vt vocatis) conſtituant, iniuria eos carpes, qui nouæ illi Eccleſiæ fidem habebunt; Nam vt tu Proteſtantes aut Puritanos, ita illi me, meoſq; diſcipulos, credent de Scripturis rectè ſentire. Non voraginem vides? non audis intonantem auribus tuis Deum? Cur foras prodijſti? cur à meæ Eccleſiæ limine te proripuiſti? An quòd ibi corruptam fidem crederes, neque rectè Scripturas exponi? Quis hoc autem tibi dixit? tuumne iudicium? ergo tibi, ò ſuperbe, pluſquàm Eccleſiæ credidiſti. An hoc alij tibi perſuaſerunt? quinam autem illi alij? num miraculis clari? num indubitato aliquo teſtimonio à me miſſi? imò nihil aliud afferentes quàm animi ſui ſenſa, coniecturas humanas, Scripturas ad ſuam mentem expoſitas, vt iam à meorum Apoſtolorum æuo omnes hæretici, Nicolaus, Cerinthus, Marcion, ceterique. Iſti recentes tibi rectè dicere viſi ſunt; tu illos es ſequutus. Cur his verò es addu-

ctus, vt Ecclesiam relinqueres, in quam antea & tu, & tui parentes, diuinis & *supernaturalibus* rationibus adducti intraueratis? Quid tunc Deo respondebis, Sectarie, nisi quod respondere etiam possint, Manichæi, Ariani? te credidisse Romanam Ecclesiam esse corruptam, nec syncerè Scripturas exponere; & Spiritum sanctum ad tuæ sectæ homines transfugisse.

Amplius dico, Sectarie, non satis dici posse, te ex Caluini, Lutherive sententia instituere tuam fidem; ac ne ex sensu quidem illius Ecclesiæ, seu verius synagogæ, cui adhæres; Sed omnino iudicio tuo te credere, vt tibi sis ipse Ecclesia, Ecclesiastes, Pastor, Ouis, & omnia. Insanum quid, sed proh dolor! & certum. Quanquam enim ex vobis hi Lutherum sequantur, illi Caluinum, vos tamen eiusmodi hominibus obnoxios esse negatis, nisi quatenus Scripturis consensere. hoc est (vt modò cõstabit) quatenus vobis illi videntur cum Scripturis consentire. Imò ne Ecclesiæ quidem vestræ, nisi eadem cautione subscribitis. Neque enim Anglicanam, vt vocatis, Ecclesiam, aut Gal-

licam,

licam, aut Batauam, aut Germanam, *infallibilem* esse putatis. Si verò *infallibilis* Ecclesia tua non est, restat omnino, vt cùm aliquid tibi ab ipsa credendum proponitur, statim explores, id ne cum Scripturæ norma conueniat. si iudicas conuenire; non ideò credes, quia ita Ecclesiæ tuæ, sed quia tibi sic visum; sin absonum iudicas esse, qua iusta ratione poteris ab Ecclesia tua cogi? Diceretne illa Ecclesia, Audi Ecclesiam, Pastores tuos audi, noli altum sapere, obtempera. mihi, non tibi credendum est? At referres; Ecclesiam & Pastores ego audio, quatenus illi Christum atque Scripturas. Num tute, ò Ecclesia mea, *infallibilem* dicis? quo iure aut priuilegio errare non possis, quæ contendis & Romanam, & Græcam, potuisse errare, imò errasse Ecclesiam? Dicis Romanam errare; & ego, te. Non hìc mōnstra quæ debellem in vobis Sectarijs fingo. Res est exemplis, & effectu notabilis. quippe illa de Ecclesijs & Scripturis iudicandi libertas, ab vno Luthero in tot hæreses, quot hodie Europam infestant, dissecta est.

Vides ergo, Sectarie, te non tā ab Eccle-

ſia tua regi, quàm à ſenſu quem à Scripturis colligis ipſe, ſeu vt veſtrum plerique loquuntur, à ſpiritu & genio quem vobis Scripturas legentibus Deus infundit. Non aduertis ad quam perniciem ſpectent hæc monſtra? non cernis confundi omnia ac euerti? Eo priuilegio, & exemplo, quot mortales, tot religiones inuenias. quiſque ſibi ſapiet; ex cuiuſque libidine proſcindetur miſera fides. Neque tu vllum ideo carpere iure poſſis. diceret enim, cur tu me à iure tuo eximis? tu ex tuo iudicio Scripturas exponis, ego ex meo; ille ex ſuo. Pugna tantùm inter vos hæc forſitan erit, cui purius, veriuſque loquutus ſit Spiritus ſanctus; Aut vter feliciori ingenio Scripturas legerit, & inter ſe contulerit. Quod ad illos internos Spiritus ſancti ſermones, cùm res ſecreta ſit, cùm inuiſibilis, an alterum alteri cōceſſurum exiſtimas? Quod etiam ad vim ingenij, atque induſtriam, (qua ambitione nulla precioſior naturæ mortalium) tune illi te ſubmittes, illène tibi? Rixæ reſtabunt, ſchiſmata, anarchia; nulla lex, nullus iudex.

Patrocinor tamen & tibi; & quidem nō

excuſo

excuſo quòd ſis hæreticus; ſed quòd ad proprios ſenſus, propriumq; iudicium componas tuam fidem, cùm ſis hæreticus. Nam illud ex veſtræ religionis præſcripto eſt, veſtræq; Eccleſiæ norma (quam nunc Miniſtrorum aliqui fruſtra diſſimulant, ne ab eorum imperio, eodem quo veniſtis itinere poſſitis elabi.) Hi enim à quibus hoc ſeculo veſtræ ſectæ inſtitutæ, vt diſceſſionis ſuæ à fide Romana fingerent cauſas, acriter contenderunt, nullos eſſe Paſtores, nullum cœtum fidelium, id eſt, viſibilem nullam Eccleſiam, quæ non poſſit errare. Si omnis eiuſmodi Eccleſia poteſt errare, ergo & veſtra: Si veſtra, omnino tibi parco, qui ſalutis ſolicitus, vbicunque eam credis errare, diuertis in alios ſenſus. Nam eadem tibi ad hoc ratio, eadem authoritas, quæ Luthero antè fuit, quę Bucero, Carolſtadio, Caluino, Petro Martyri, & id genus hominibus, vt auderent ab Eccleſia Romana ſecedere. Si hoc, inquam, ipſis licuit, licebit & tibi; Si tibi, quid ni & alijs? Hinc verò quàm inſana libertas, quàm publicè ſignum nouis, antiquis, veſanis, damnatis, impijs, omnis generis

erroribus datur? Sereniſſimus Magnæ Britanniæ Rex, quo iudicio pollet, aduertit, ſæpeque aſſeruit, ad omnem impietatem viam ſterni puritaniſmo; Quippe facilè Puritanos extremis patere hæreſibus; hos ad Bruniſtas, hos ad Anabaptiſtas, hos ad Arianos non ſemel defeciſſe. hinc breuem omnino ad Atheiſmum viam eſſe. Solerter Sereniſſimus Rex; ac vtinam ordiatur non à media ſcala, ſed ab infimo gradu. Certè enim Athei ſæpe ab Anabaptiſtis, & Bruniſtis; à Puritanis autem Anabaptiſtæ multi, omnesq; Bruniſtæ; At vnde hi ipſi Puritani? nonne à Proteſtantibus, Lutheranis, & eiuſmodi ſectis? Adeò vt vocari ritè poſſint hæ ſectæ, quæ ab vna deflectunt in aliam nouam (quod de Eunomiánis, qui Arianæ arboris ſurculus erāt, dicit Ambroſius ij.Hexæm.Cap.v.) *radicis degeneris fructus deterior*. Nec alio iure diſſentiūt à Lutheranis Anglici Proteſtantes, quàm quo ab Anglicis Proteſtantibus Puritani, à Puritanis Bruniſtæ, à Bruniſtis Anabaptiſtæ. Par ius omnibus, aut verius par omninò iniuria. *Abyſſus abyſſum inuocat*. Vbi ſemel ab Eccle-

ſia

ſia eſt deſcitum, leuioribus primùm erroribus mens infelix imbuitur (veluti qui prima adhuc nocte extremum aliquod Occidentis Solis lumen aduertunt)Hinc paulatim ad peiora prodigia itur; & *peccator poſtquam in profundum venerit contemnit*.

Non igitur exhorres, Sectarie? qui videas ex tua diſciplina neceſſariò licentiam ſequi, quæ credulitatem mortalium in innumeras deſtribuat ſectas, omnes hæreſes licitas faciat, ſingulis hominibus etiam *bardis*, *blennis*, *bucombus*, mulierculis quoque, eam tribuat Scripturarum exponendarum poteſtatem, quam nos cum ſanctiſſimis Patribus profitemur vnicæ, & Orthodoxæ Eccleſiæ eſſe conceſſam? Dicis, ò erro, erraſſe Eccleſiam; interimq; ipſa relicta, velut miſſus ex arca Noës coruus, cadaueribus quæ diluuij procella feruntur, incertus ac vagus,non dicam inſiſtis, ſed fluctuas. Iterum dicam; Non exhorres, Sectarie, qui non poſſis grandioribus argumentis commendare tuam Sectam, quam alij Sectarij ſuas poſſint, quæ hodie multæ tibi aduerſæ, in te pugnantes? imò quàm olim ſuas

Ariani, Manichæi, Marcionistæ? Finge enim me ab Ecclesia Catholica velle recedere; quonam abibo? quo me recipiam? Calles vbique, vbique semitas videas, easque diuersas, ac sæpe contrarias, eorum qui ab nostra Ecclesia diuerterunt. Porrò vnica est Ecclesia; non scinditur tunica Christi, non Spiritus sibi repugnat. *Vnam congregationem Domini, vnam Ecclesiam nouerimus* (inquit Ambros.iij.Hexæm. Cap.j.) Ex tot vestris semitis, ex tot sectis (etiamsi daremus aliquam probam esse) tantùm vnica esse posset quæ ducat ad cælum; reliquæ necessariò ad inferam gehennam decliues sunt. Quænam autem est illa beata? quo sydere illustrata, vt dignosci ab errantibus possit? Peto à vobis Lutherani, vbi est domus Christi? Apud nos, inquiunt. Itane est, Caluinistæ? imò apud nos, referunt. Eadem Anabaptistarum vox, eadem Arianorum. *Tunc si quis vobis dixerit, Ecce hic est Christus, aut illic, nolite credere.* Adeò liquida hæc res, vt nec Sectariorum quisquam neget, omnes sectas sibi sapientiam imputare, & ab vnaquaque despici cæteras, tanquã errantes.

Quò

Quò me igitur vertam, si à Romanæ Ecclesiæ gremio abeo? aut verius cur abibo? Quæ causa, vt ad Protestantes potius quàm ad Arianos secedam? Paria vtrorumque argumenta, prætextus idem est, vna authoritas. Nam quid olim Ariani? Errant Homousij, aiebant, in Scripturis exponendis, iniuriam Deo faciunt, nostra nos salus ab ijs diuidit. nos cum Apostolis sentimus. hi ab illis abierunt. Quid vos magis Protestantes? Ecclesia Papistica erronea est, non ritè scripturas exponit, nos ab ea tanquam à Babylone exiuimus; Catholici suis somnijs implicantur, quibus excussis nos iam subito lumine ac sapientia refecti in Apostolorum fide consistimus. Peto à te, ò quisquis es istius æui hæreticus, sed sanari cupiens, nec monentes exosus, vt vocem vtramque perpendas. Num quid à me falsi dictum? Nonne hæc fuit Arianorum vox? Nonne illa hodie vestra? Vide autem an vos hæc verba meliori iure quàm isti. Scripturę non ritè exponuntur ab Homousijs, inquiunt Ariani; Scripturæ non ritè exponuntur à Papistis, siue Catholicis, inquiunt nunc hęretici.

retici. Vnde autem hoc probant Ariani? vnde huius æui hæretici? Vna, eademque ratione. Afferunt verba Scripturæ, ea examinant, de ijs disceptant, de ijs iudicant, quod ipsorum iudicio est consonum audaci maiestate pronunciant. Tum hęc verba intonant Ariani, *Pater maior me est.* &, *non quæro voluntatem meam, sed voluntatem eius qui misit me*, &c. Alia in errorum suorúm fundamentum Protestantes assumunt, Anabaptistæ alia, alia molles, alia rigidi Lutherani. Quòd si ab Arianis petieris, cur in illos suos sensus Scripturas exponant, referent, faciles legentibus esse Scripturas, sibique liquido tam ex primæ antiquitatis studio, quàm ex ipsarum lectione & collatione constare ita esse exponendas. Iam interroga Protestantes Lutheranos, & Protestantes Caluinistas, cur eum Scripturarum sensum teneant quem sequuntur, nō responsum aliud feres, quàm illud Arianorum; imò non aliud dedere vlli hęretici, non aliud vnquam dabunt.

At verò nos ad disputationem iam prouocant isti, scilicet probaturi se ex mente Scripturarum, & sentire, & loqui.

Quid

Quid mirum? nonne & olim acres ad disputandum Ariani? nonne in disceptando Scripturas, argumenta, Philosophiam, pertinaciam, attulere? quæ illorum in Concilio Nicæno certamina? qui tribus & amplius seculis, libri, clamores? Nihil est quod non possit aliquo prętextu defendi, ab ijs pręcipuè qui iudices viuos, loquentesque defugiunt. Omnino Scripturæ sunt certæ, diuinæ, colendæ; quis negat? sed sunt mutæ, sed sunt eo lumine quod superbos oculos fallat. Ijs tacentibus potest imponi; eas facile torqueas; eius denique tales tibi sententiæ videantur, quales in animo ipse habes. vt ob oculos colorati vitri positu, domos, homines, campos, eo colore censeas quo tinctum est vitrum. In Philosophorum scholis inualuit ne quis in Aristotelem pugnet. num ideò non diuersæ in illis sententiæ? hi istud, hi aliud afferunt, & à se vtrique Aristotelem stare contendunt. Interpretes iuris pro oraculis habent Authores Digestorum: pax tamen inter illos vtique rara. In Vlpiani, in Papinij verba consentiunt: De Vlpiani, de Papinij mente dissentiunt. In omni disciplina, eadem

ratio

ratio erit; quæ interpretatione constant semper dubia, ac perplexa sunt, semper dissertationis in varios sensus, & arguendi subtilitate, plenissima. Et hinc omnibus semper hæreticis materia, vt Scripturas ex sui animi sententia loqui credant, aut credere fingant. Hinc etiam causa, vt Ecclesiam semper accusent, quasi non sit illa legitima, atque Catholica, cuius iudicio acquiescendum. Neque quid plus istius seculi hæretici, quàm olim Ariani. Imò qui non ex hæreticis extorto ex Scripturis velo tecti? Ethnici prorsus sint, neque vllos Christianorum alliciant, qui non profiteantur ex mente Scripturarum sapere velle.

Igitur cum Sectarijs disceptatio nulla vtilior, quàm vt doceantur non fidere disputationis æstui quo toti incalescunt, aut argumentis quæ incitato ingenio in ipsis nascuntur, non denique dulcedini qua suas partes, suasque sententias, tanquam charissima pignora, amant. Hæc enim omnia adfuere singulis hæreseon sectis; neque illæ ideò meliores; Imò his olim armis instructi in Iudaismum Ethnici, Iudæi etiam, atque

gentes

gentes in nascentem Christi fidem. Nec iam istis animus magis ardet, tutandis partibus suis, quàm antiquis olim hæreticis. Testis Macharius Monothelita, Episcopus Antiochenus, qui coram Oecumenica Synodo VI. loqui sic ausus. (Action. VIII.) *Non dico duas naturales voluntates, aut duas operationes naturales, in incarnationis dispositione Domini nostri Iesu Christi; nec si membratim incidar, & mittar in mare.* Rectè de eiusmodi disceptatoribus Hieremias (Cap. x.) *Stultus factus est omnis homo à scientia.* idest (vt exponit Ambrosius lib. I. Hexæmer. Cap. iij.) *infatuatus est versutæ disputationis astutia.* Audi pręmonentem Apostolum (ad Ephes. IV.) ne *circumferamur omni vento doctrinæ in nequitia hominum, in astutia, ad circumuentionem erroris.*

Neque hìc tamen disputandi subtilitatem excludo. Quò nobis à Deo ingenium, nisi vt illius lumine in perplexis vtamur? Ne nos quidem absque rationis auxilio, *vnam sanctam Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam credimus.* Sed illa vis disputandi ni sobria, prudensq;

sit,

ſit, exerrat in gentilium Philoſophorum mores, & ſuperbia, incredulitate, contumacia laborat. Eadem penè ſunt ad Angelum Gabrielem verba Zachariæ, Mariæque; & hęc tamen cæcitatem, illa pręmium meruerunt; quia diuerſus erat ſub eodem ſermone interrogantium, ac propemodum diſputantium ſenſus. *Hoc igitur dico* (inquit Apoſtolus, ad Epheſ. IV.) *& teſtificor in Domino, vt iam non ambuletis, ſicut & gentes ambulant, in vanitate ſenſus ſui.* Audi Auguſtini ad Hæreticos verba (De Morib. Eccl. Cathol.) *Quamobrem adeſtote animis*, inquit, *ſi fortè illa ſuperſtitione ita tenemini, vt euadere aliquando poſſitis. Adeſtote, inquam, ſine pertinacia, ſine ſtudio reſiſtendi: nam aliter vobis pernicioſiſſimum eſt iudicare.* Et Serm. LI. In Ioannem. *Fides debet præcedere intellectum, vt ſit intellectus fidei præmium. Própheta enim apertiſſimè dixit; Niſi enim credideritis, non intelligetis.* Ita eſt in his rebus diſputandum, vt ſciamus agi de fide, non de matheſi aliqua quam ſcire oportet, non credere. Ita eſt diſputandum, vt in illa inueſtigatione veritatis paratus

ſit ſibi imperare animus, nec ad pertinaciam contentio ſuccedat; & poſt ſobriam diligentiam lis componatur vtique ſemper eorum authoritate legitima, quorum eſt de fide, ac moribus iudicare.

Atqui oſtendimus Sectarijs omnibus longè alios mores eſſe; quippe illos, vel pertinaci ſuperbia credere ſibi ipſis; vel eiuſmodi viris, qui propria temeritate ſibi finxerunt Eccleſias; denique in diſputando parem eſſe Sectarum omnium rationem (quanquam illæ inter ſe contrariæ) pari, inquam, ratione, & authoritate agere Pelagianos, Arianos, Lutheranos, Caluiniſtas, cęteroſque hęreticos; adeò vt vel omnes hæ ſectæ, vel nullæ, probandæ ſint, & homini ſynceri iudicij ſit multò facilius omnium miſereri, quàm ad vllam accedere.


Nunc porrò exequendum, quàm nos in ſancta Eccleſia, quæ à Conditoribus Apoſtolica appellatur; à magnitudine, Catholica; à ſede, Romana, alterius ſortis ſimus, quàm de noſtra fide certi, quàm denique ſolis nobis Chriſtianorum nomen, & cœtui noſtro ſoli Eccleſię ſigna conueniant.

CAP.



CAP. VI.

Esse vnicam veram Ecclesiam. Non posse fieri vt diuisi Sectarij sint in Ecclesia, quæ non diuiditur. Sectarios nullam habere à prisca Ecclesia successionem. Nullo antea seculo vllos homines ita de fide sensisse, vt hac ætate Sectarij.



CCLESIAM Græci dixerunt, quod Latini Concionem. Sed profano vocabulo sanctitas & veneratio accessit, ex vsu maximè Christianorum, qui vt suos à Iudæis cœtus distinguerent, pro Synagoga dixere Ecclesiam; siue verbi arcanam vim sequuti sunt, quod *euocationem* significat (cùm nemo Ecclesiam intret, nisi quem suo spiritu Deus impulerit) *Nemo potest veni-*

venire ad me, nisi Pater qui misit me traxerit eum. Ioan. VI. siue de Græciæ more collectam multitudinem ita dixerunt, cùm in Ecclesiam Christiani conuenirent, percipiendo Dei verbo, peragendisq; mysterijs. Ἐκκλησιαστὴς (inquit Hieronymus initio Cõment. in Ecclesiasten) *Græco sermone appellatur, qui cœtum, id est, Ecclesiam congregat*. Quicquid sit illud inualuit, vt Ecclesia sit congregatio sancta fidelium, (congregatio inquam, seu adunatio consentientium in fidei rebus) quæ generalis est, & omnium vna, ab antiquis Orthodoxa & Catholica dicta; cuius omnes Christiani sunt membra, quos neque hęresis, neque schisma, neque anathema à tanti corporis communione submouerit. Vbicunque, inquam, sint, & quoquo nomine appellentur veri fideles, sunt illius Ecclesiæ partes. Tributum est & Ecclesiæ nomen, fidelium cœtui, qui in eadem Prouincia, aut etiam vrbe viuunt. Hinc illæ in Asia septem Ecclesię, de quibus in Apocalypsi Ioannes Apostolus: Sed eiusmodi Ecclesiæ, nisi membra sint vniuersalis istius, id est, nisi sint in ipsius communione, ac

fide, iam non ſunt Chriſti Eccleſiæ, ſed Antichriſti Synagogæ. Nam cùm Catholica, ſiue Orthodoxa Eccleſia, ſit rectè de Chriſto, & fide, ſentientium cœtus, neceſſe eſt omnes qui ab illius Eccleſiæ ſenſu diuertunt, malè ſentire, veram fidem non habere. *Eccleſia*, inquit Hieronymus in Pſalm. xxiij. *ex pluribus perſonis congregatur, & tamen vna dicitur propter vnitatem fidei.*

Ea quanquam clariſſima, turbari Sectarij volunt; & vnitatem Eccleſiæ, in diuerſarum religionum diſciplinas extēdi. Iſaacus Cuſaubonus in Reſpon. ad Epiſt. Illuſtriſſ. Card. Peronij, quam iuſſu Sereniſſimi Britanniarum Regis ſcripſit, *Obſeruatione prima*, in Catholicæ Eccleſię gremium penè omnes eorum, qui ſe vocant Chriſtianos, ſectas admittit. Ait, vigente Romanorum imperio fuiſſe duntaxat *vnum Eccleſiæ Catholicæ corpus:* Sed, inquit, *Diſtractionem Imperij diſtractio Eccleſiæ Catholicæ eſt ſequuta, &c. Romana igitur Eccleſia, Græca, Antiochena, Aegyptia, Abyſſina, Moſcouitica, & plures aliæ, membra ſunt, doctrina quidem, & fidei ſinceritate mul-*

tùm

tùm præstantia alia alijs, sed tamen membra Ecclesiæ Catholicæ; cuius compages quod ad formam exteriorem, dudum est soluta. Paucis hæc expendamus.

Si sentit Casaubonus has omnes quas recenset Ecclesias, fuisse quidem olim membra Orthodoxæ Ecclesiæ, iam verò ab illa, ob schisma, vel hæresim, esse recisas, nihil dixerit nouum, nec quid pro se effecerit. Nam & Marcionistas, & Manichæos, & Arianos, scimus eadem ratione membra Ecclesiæ Catholicæ posse vocari: Siquidem in ea fuerunt, & ab ea per hæresim discesserunt. Sin (vt reuera vult, & loquendi ratione conficitur) intelligit Orthodoxam Ecclesiam, quæ sub Romano erat imperio, ita in has quas recenset Ecclesias esse diuisam, vt vnaquæque earum Ecclesiarum, maneat adhuc pars, atque membrum illius Catholicæ Ecclesiæ, non puto vel ipsi qui hoc scripsit tam alienam à iudicio, rerumq; natura, probari potuisse sententiam.

Nam si nihil est quo effici possit, vt Ecclesiæ aliquę *particulares* desinant esse Ecclesiæ Catholicæ membra, sequitur, Manichęorum, Arianorum, Donatista-

rum, Pelagianorum Ecclesias, nunquam à corpore veræ Ecclesiæ discessisse, cui omnino ante susceptam hęresim erant insertę. Sin re vlla hæc scissura fieri potest, certè schismate, aut hæresi fiet. Qua ergo ratione Ecclesias, quæ schismate atroci dissentiunt, imò quæ de maximis fidei partibus aliter atque aliter statuunt, ac proinde quarum aliquæ necessariò hæreticę dicendæ sunt, ad vnius Ecclesiæ Catholicæ corpus reuocat, quæ ideò Catholica dicitur, quia hæresi patere non potest? Vt cęteras nunc omittã; nonne Romana, atque Gręca Ecclesia de ijs dissentiunt, in quibus errare sit hæresis? Romana Ecclesia docet, totius Ecclesiæ curam Petro Apostolo, ac per hoc successoribus demandatam. Negant Gręci. Romana Ecclesia sentit Spiritum sanctum à Patre, Filioq; procedere. Græci à solo Patre volunt. *Antiochena* autem Ecclesia, nonne Iacobitarum est, id est, Eutychiana hęresi infectorum? De alijs Ecclesijs sileo, quę & à Latinis, & Græcis recesserunt. An Ecclesiæ igitur quę contraria sentiunt de Fidei tantis rebus, verè sentire omnes possunt? an illæ non esse

esse à Catholico corpore separatæ, quæ schismate, ac hęresibus seipsas corruperunt?

Peto deinde, num credat Casaubonus, nullam hęresim Romanæ Ecclesiæ insidere: Si sic credit; cur tam sæui ab ea Ecclesia abiere hoc æuo Sectarij; quid tot contumelijs, tam tumultuario odio opus? Sin existimat eam vlla hęresi esse pollutam; quare illam Ecclesiæ Catholicæ membris annumerat, cùm hæc duo nulla ratione conueniant, esse Catholicam, & esse hęreticam?

Sed est scilicet Lydius lapis quo produntur hæretici, *de Ecclesia disputare, aut illam designare:* Adeò vt anxij, turbatique, non inania modò, vel falsa effutiant, sed inter se pugnantia; & nunc quidem ita vulgarem cum Casaubono Ecclesiam fingant, vt vix ab ea Christianorum vllos excludant; quò laxatis adeò septis possint & ipsi in illa contineri; Nunc è contrario inuisibilem faciant, in deserto fugitiuam, oculis mortalium subductam, seculis vt minimum decem; vt excusationem audaciæ suę parent, qua Ecclesiam carpunt, quę illis seculis viguit,

& aliam fingunt, quæ tunc nullibi visa. Caluinus in illis est, qui in eam rem multa, & maximè Pręfatione Institutionum. Vbi & ait, *Deum interdum Ecclesiæ suæ exteriorem notitiam ab hominum aspectu auferre:* Vt igitur modò ostendimus has omnes quas recenset Casaubonus Ecclesias esse non posse Ecclesiæ Catholicæ membra, cùm *essentialiter* inter se de fide dissentiant. Ita iam & carpendus Caluini fœdus error, qui Ecclesiam Catholicam per multas ętates, à luce, *ab exteriori notitia, ab hominum aspectu* sublatam asseruit. Nam è contrario sentimus Catholici, nunquam desijsse Christi Ecclesiam, nunquam ita delituisse, vt non cognosci potuerit.

Cùm igitur disceptamus vtrum Ecclesia ad hanc ętatem à Christo durauerit, nihil aliud quęrimus, quàm vtrum in aliquot semper hominibus, voluerit Christus suam fidem incolumem esse. Et verò voluisse quis sanus dubitabit? Iam non semel protulimus Scripturarum Oracula. Matth. xvi. *Portæ inferi non præualebunt aduersus eam* Ecclesiam. Matth. xxviii. *Et ecce ego vobiscum sum vsque*

ad

ad consummationem sæculi. His adde Apostolum. I. Cor. XI. *mortem Domini annunciabitis donec veniat*. & I. ad Timoth. III. *Ecclesia Dei viui columna, & firmamentum veritatis*. Nam quę illa columna, aut quod genus firmamenti, si visibilium & marmorearum columnarum saltem ętatem ferre non potuit? Quot enim à Christi æuo columnę in nostra tempora durauerunt, superstites seculis, bellis, incendijs? At spiritualis hęc columna, erecta Deo artifice, & Deum, id est veritatem sustinens, columna Christi sanguine empta, sola Christi hęreditas, solum Christi cùm hominibus tabernaculum, impar ætati, tyrannis & hæreticis impar, miserabili ruina perierit? Quid pluris? adeò absurdum cogitare *veram fidem* vllo tempore prorsus extinctam, adeò Scripturis aduersum, vt liberalis ingenij hominem in tanta prodigia non iturum existimem. pręsertim cùm vel ipso tempore Antichristi (quo nomine isti scilicet Papam intelligunt) fore fideles, atque electos, Christus pronunciet (Matthæi XXIV.) *& nisi breuiati fuissent dies illi non fieret salua omnis caro; sed pro-*

pter electos breuiabuntur dies illi.

Est vnica ergo Ecclesia, quia veritas vna est, & vnica vnius Christi sponsa. *Non debetis existimare* (inquit Hieronymus in Psalm. lxvii.) *plures esse Ecclesias, quæ habeant vbera doctrinarum, & possint credentes scientiæ lacte nutrire. Vna est Ecclesia, & vnus Christus sponsus Ecclesiæ.* Durabit & illa Ecclesia ad extremum seculorum, quandoquidem duraturam Spiritus sanctus in Scripturis asseruit. Videamus nunc quæ sit illa Ecclesia, quę nempe & exorta à Christo, & ad nos continua serie sit perducta. Negas, Sectarie, esse Latinam, negas & Græcam esse; ais denique illam esse quam sequeris. Atqui iam antè ostendimus non fieri posse vt veræ Ecclesiæ nomen conueniat omnibus sectis, quæ hoc seculo sunt exortæ; cum sint inter se contrariæ, Demus igitur, dicis causa, vnam illarum esse veram Ecclesiam; at cæteræ saltem erunt in hæresibus numerandæ. Nec quæ sit illa candida vllo argumento satis euiceris. Omnes enim vno ore prouocant ad Scripturas. Putesne itaque in incerto viuendum, Sectarie, donec linguam

Domi-

Dominus Scripturæ tribuerit, quæ viua & publica voce ſententiam de tanta re ferat, non literis vt nunc mutis, quas in ſuos ſemper ſenſus corrupere hęretici?

Sed vt nunc gratiam fecerim illius inter vos diſcordiæ. Peto à te Sectarie, cuiuſcunque ſis Sectæ, ſaltem vt probes omni æuo extitiſſe, qui idem ſenſerint quod tu modò, quibus in fide ſucceſſeris, quorum Eccleſiam iam impleas. Nihil hac poſtulatione eſt æquius. Cùm enim conueneritis derepente in nouam credendi rationem, & hunc veſtrum cœtum dixeritis veram eſſe, & perennem à Chriſto Eccleſiam, quid iuſtius quàm à vobis exigi, vt probetis hanc veſtram Eccleſiam ſemper à Chriſto, ſaltem in quibuſdam mortalibus, conſtitiſſe? Voluere Iuriſconſulti, (& ita natura fert) vt onus probationis in petitorem incumberet. Nos autem, vt vel ipſi fatemini, in poſſeſſione eramus, longa, antiqua, multorum ſeculorum, cùm vos vindicias ſcilicet pro veritate poſtulauiſtis. De poſſeſſione nos vultis extrudi. Quid ceſſatis ergo probare, vos legitimos hæredes Eccleſiæ? Indicate ſucceſſionis ius, maiorum ſeriem à qui-

à quibus accepiſtis hanc quam colitis fidem. Non malignè vobiſcum, non ſcrupulosè agam; neque iam quæram, vtrum multi omni æuo adhæſerint Eccleſię veſtræ, ſed vtrum pauci aliqui, imò vel vnus ſaltem; vt quod de collegio Iuriſconſulti dixerunt, ad Eccleſiam referamus, *collegio conſtituendo plures eſſe oportere; conſeruando vnicum ſatis eſſe.* Date, inquam, vel omnibus ſeculis vnum, qui veſtrarum partium fuerit; neque quæram hæreticus, Orthodoxus, Philoſophus, Atheus fuerit; ſed omnino manus dabo, vos ſequar, vobis applaudam.

Pudebit vos antiquorum hęreticorum authoritate vti, quorum tamen hæreſibus vti non pudet. Sed nec pudeat. Ipſos omnino conſulite. Aërius orationes pro mortuis vobiſcum exploſit. At vbi ille in Euchariſtiam, in pium cultum imaginum, in Sanctorum ſuffragia? Nuſquam gentium. Non igitur ab illo veſtra fides. Vigilantius in Sanctorum reliquias inuectus eſt; Iouinianus virginitati detraxit. Vtrique in his rebus conſentitis. Sed non illi vobiſcum in cæteris. neque enim euertebant liberum arbitrium, non erant à

Miſſæ

Missæ sacrificio alieni. Docuit vobiscum Eunomius homini fidem habenti peccata non obesse: sed & ille malè de Christi diuinitate sensit. Non vos igitur, ò Caluinistæ, Lutheranique, Eunomianos dici feretis. Proclus, concupiscentiam ipsam in homine, peccatum esse dixit; idem dicitis. Sed in Proclo cætera quæ in vobis, nunquam inuenit, aut damnauit Ecclesia. Denique (quo quid amplius ad vestrarum sectarum infamiam?) penè singula, in quibus erratis, authores habuerunt aliquos ex veteri ætate hæreticos; qui autem simul omnia, quæ vos hodie, in vnum coëgerit, nec primis seculis extitit, nec omnino ante vos vllus.

Non igitur ab hæreticorum illorum aliquo vestra religio: Vt iterum efflagitare liceat vestræ sectæ parentes, seriem, æuum. Græcosne proferetis? Illi enim à Romana Ecclesia desciuere, & diu est quòd Romano Pontifici maledicunt. Ita est; & vos hac parte (fateor) similes Græcis: Sed num & in cætera fide? Nihil minus. Græci de transubstantiatione, de inuocatione Sanctorum, de imaginum cultu, nihil à nobis dissentiunt. Vobis denique

nique adeò non iunguntur, vt nihil dissimulato nomine, vos hæreticos palàm inclament. Nam solicitatus à vobis Ieremias Constantinopolitanus Patriarcha, inter cætera in hæc verba rescripsit (in sua διδασκαλίᾳ νυθετικῇ.) *Omnino tacere nobis propositum fuit ad ista Vestra, nec respondere vobis quicquam: qui adeò apertè tum Scripturam, tum Doctorum Sanctorum interpretationes ad vestram voluntatem transferatis: cùm Paulum habeamus nos sic hortantem: Hæreticum hominem post vnam, atque alteram admonitionem reijce. Verum quia silentio nostro futurum fuisset, vt vobis assentiri videremur, &c.* Ergo Græci (vt vel hinc constat) diuersi à vobis. nec exemplo esse possunt fuisse omni æuo aliquos qui vobiscum in fide sentirent. ipsi enim neque semper in ea quam profitentur secta, neque vllo tempore in vestra fuere.

Qui igitur vestri authores? qui parentes? Bertramum nescio quem habetis, & deinde Berengarium, qui de Eucharistia senserint quod sentitis. Quid tum? an legitur ille Berengarius, ille Bertramus, controuersiam de Purgatorio, de

inuo-

inuocatione Sanctorum, de veneratione imaginum, de Pontificis potestate, mouisse? Fides itaque vestra non eadem quæ illorum. Ad Vualdenses, & Albigenses respicitis? oppidò seri hi vestri parentes; scilicet illi anno Domini M. C. LXX. hi verò post annum M. C C. nati. Vacauit igitur tot seculis ante illos Christi fides? Sed demus vacauisse. Libet enim indulgere plus iusto. Num cum Vualdensibus creditis, *iudicium sanguinis omnibus interdictum; laicos à peccatis posse absoluere, Eucharistiamq; conficere; semel in anno, idq; in Domini cœna, Eucharistiā consecrandam; non quidem prolatione verborum, quæ in cœna Christus instituit; sed recitatione orationis Dominicæ?* Num verò cum Albigensibus, creditis duo principia, vnum bonum, alterum malum; dicitis Christum, nec verum Deum extitisse, nec hominem verum? Fortè negabitis has fuisse Vualdensium, aut Albigensium voces: quia non extant eorum volumina, & quid senserint, ex Orthodoxis tantùm habemus. At eadem opera & de Ario, & de Manichæo subdubites, & penè de omnibus quotquot olim vixerunt hæreti-

reticis, quid docuerint, quid errarint: quandoquidem diligentia Ecclesiæ fractum, vt eorum scripta non ferrent ætatem, abominata fidelibus, & passim flammis data. Sed ex Catholicorum Patrum fide tenemus quid illi sentirent, in quos scripsere hæretici. De Vualdensibus porrò, seu Pauperibus de Lugduno, & Albigensibus ea quę retulimus tradunt, S. Antoninus, Guido Carmelita, Bernardus Lutzemburgensis, & alij plures. Date paris ætatis, paris fidei viros, qui quod isti de his hæreticis prodidere, aut negent, aut refellant. Nec abnuo vester esse, modò probetis, Vualdenses, aut Albigenses in ea fide vixisse, quam hoc æuo laudatis; aut vestram istam fidem continua ab illis serie ad vos esse perductam.

Num denique Io. Vvicleffum, Hussiumque, tanquam vestros maiores, laudabitis. Quinam illi? nonne nouitij? cum Vvicleffus circa annum M. CCC. LXX. scripserit; perieritq; Hussius anno demum M. CCCC. XV. In confesso apud vos est, plus mille iam annis nostram fidem viguisse; vt verò vestræ quoque vetustatem commendetis, ad ducentos supra

hoc

hoc æuum annos duntaxat ſuſpicitis? Vos à Vvicleffo, aut Huſſio? At à quibus Vvicleffus, Huſſiusque? Succeſſionem enim quærimus ab Apoſtolis ad Lutherum, aut Caluinum. Sed duri non erimus. Vide modò, Sectarie, vt Vvicleffi, Huſſijque ſententias ritè ſequaris. Ecce autem inter cætera, Vvicleffi doctrinam. *Nullus eſt dominus ciuilis, nullus eſt Prælatus, nullus eſt Epiſcopus, dum eſt in peccato mortali. Vniuerſitates, ſtudia, collegia, graduationes, & magiſteria in eiſdem, ſunt vana gentilitate introducta, & tantum proſunt Eccleſiæ ſicut Diabolus. Ditare Clerum eſt contra regulam Chriſti. Iuramenta illicita ſunt quæ fiunt ad corroborandum humanos contractus, & commercia ciuilia*. En vt in multis Vvicleffi hæreſes diuerſæ à veſtris ſunt. Quid quòd nominatim S. Auguſtinum eſſe damnatum audaculus ille pronunciat, *niſi pœnituerit de hoc quòd habuerit poſſeſſiones, & inſtituerit religionem?* Quid quod dicit, *Populares poſſe ad ſuum arbitrium dominos delinquentes corrigere?* quam infelicem anarchiam, etiam ſi placeat multis veſtrum, (vt editi libri teſtan-

ſtantur, vt mores, vt Miniſtrorum de ſua ſuæq́; Eccleſiæ poteſtate, confuſa & ſuperba iactantia) tamen nondum publicè audes laudare, Sectarie.

Sed negare iam Sectarij volunt, ita habere Vvicleffi doctrinam. Quidam in illis ingenio non cauſæ innixus, nuper hoc auſus eſt; Et ratio illius; quia hæc, inquit, *nuſquam in Operibus eius reperta, quæ manuſcripta apud nos* Anglos *ſunt; edenda merito in lucem, vt hæc, & aliæ non paucæ calumniæ diluantur*. Vvicleffi opera manuſcripta apud vos ſunt? Num liquidius argumentum non ſtare Vvicleffum à vobis, quàm quod tot editis in nos libris, anquiſitis vndique argumentis, hæc Vvicleffi opera deliteſcere voluiſtis? Quod ſi nunc poſt ſeptuageſimum Anglicanæ hæreſeos annum, placebit tandem fortè aliqua ſub Vvicleffi nomine ſcripta emittere; cui ſyncerum iudicium, qui non illa vel conficta, vel ad veſtram libidinem, aucta, exciſa, mutata exiſtimet? Quam autem Conſtantienſis Concilij Patribus frontem effingitis, qui auderent in re recenti, in re pleriſque nota, adeò impudenter de Vvicleffo mentiri?

tiri?

tiri? Nulline prçter illos Vvicleffi scripta viderant, doctrinam audiuerant; vt tutò imponere Orbi possent, & tanquam in re arcana quidlibet dissimulare, vel fingere? Nonne denique hos ipsos articulos, quos Vvicleffo tribuimus, tribuit & Ioannes Husz Vvicleffi discipulus? Certè enim in Concilio Constantiensi damnatus est, quòd assereret iniquè damnatos quadraginta quinque Ioan. Vvicleffi articulos; ex quibus ea ipsa deprompta quæ modò retulimus. Nonne porrò reclamasset Ioannes Husz, cui tunc copia publicæ defensionis facta; si non verum, & ea à Vvicleffo concepta, & à se etiam esse probata? Imò res adeò publica extitit, vt omnibus de illa constaret. Habes enim, Concil. Constan. Sess. viij. *Idem Ioannes Vvicleff libros dialogum, & trialogum per ipsum nominatos, & plures alios tractatus, volumina, & opuscula composuit, in quibus præscriptos, & alios damnabiles inseruit, & dogmatizauit articulos, quos libros ad sui peruersi dogmatis publicationem publicè legendos exposuit.* Ausinè patres hoc scribere, nisi publicè verum; cùm publicè libri extarent,

rent, quibus argui potuissent, & venire in iustam, pudendamq; infamiam? Quin & ante Constantiense Concilium, Oxoniensis Academia, hos xxxxv. articulos; aliosq; præterea multos, in Vvicleffo deprehenderat, atque damnauerat. Num tunc illi scripta Vvicleffi non habebant, vos demum habetis? Num tunc omnes non modò cæci, sed impij ac mendaces, qui innocenti calumniam struerent; vos tandem oculati, religiosi, innocentes?

Ad Ioannem Husz venio, cui si consentitis, cur ipsius discipulos, cur inquam Hussitas in Bohemia pro fratribus non habetis? cur hi à vobis, vos ab illis, tam atrocibus rixis abitis? Sed & præterea de Hussij doctrina hoc fuit, illas Vvicleffi sententias, quas modò retulimus, magna iniuria à Catholicis Doctoribus esse damnatas. *Condemnatio*, inquit, *quadraginta quinque articulorum Ioannis Vvicleff per Doctores facta, est irrationabilis, & iniqua, & malefacta*. Repetit etiam nominatim, ac probat, hanc perditam Vvicleffi insaniam (Art.xxx.) *Nullus est Dominus ciuilis, nullus est Prælatus, nullus est Episcopus, dum est in pecca-*

to mortali. Si non admittitis ergo Vvicleffum; certè nec Hussium. At vos longè à Vvicleffo dissentire, Sectarij, ex ipsius stylo prodidimus; igitur & ab Hussio dissentitis. neque is vobis pater, neque patronus.

Vnde ergo vestra origo? quis hanc Apostolicam fidem quam profitemini, per manus tradidit vobis? quis eam ab Apostolis accepit? quis acceptam continuauit? Non erimus iniqui censores; non ad viuum omnia exigemus. Date aliquas antiquorum historias. aut si scriptas traditiones non habetis; alias date. Quàm indignum, Sectarij, nec imaginario quidem iure vos niti? Iterum in os dicam. Si vel vnum singulis ætatibus fuisse monstretis, qui vestram fidem coluerit; non quæram pius fuerit, nec ne, eruditus, an scientiæ expers, nec cum illo, nec vobiscum disputabo: sed quod ad me est tota causa viceritis; nos tunc hæretici, nos pleni mendaciorum; vos à Deo eruditi, vos veri cultores. Sed ò pudendam rem, destitui partes vestras tantillo monumento, tantillo successionis vestigio. Et quos tandem sani ingenij vi-

ros, hæc ratio diligenter expenſa ab ve-ſtræ hæreſis cœno non eruat?

Dicetisne in occulto rem fuiſſe? tunc regnaſſe Antichriſtum, tunc tenebris merſum Orbem; Nec defuiſſe tunc fideles, ſed non auſos aperire quid vellent, aut ſentirent? Quid hoc monſtri? abſtruſa, latens, ignota Eccleſia? Non ſic viſum Auguſtino, lib. iij. contra Epiſt. Parmeniani, Cap. v. *Nulla eſt ſecuritas vnionis, niſi ex promiſſis Dei Eccleſia declarata, quæ ſupra montem, vt dictum eſt, conſtituta, abſcondi non poteſt.* Sed eſto. Latuerit tunc lux mundi; latuerint illi veſtri fideles. At quàm multum latuere? Si adeò in occulto fuerunt, vt nullam ſui memoriam, nullum monimentum reliquerint, quonam modo vobis innotuere? quo referente id ſcitis, quod nemo retulit, nemo cognoſcit? Quòd ſi aliquid reſtat, quo doceri idoneè poſsit extitiſſe eiuſmodi viros, quid cunctamini rem efferre? quid vos indefenſos hactenus reliquiſtis tam longo, turpique ſilentio? Id enim eſt quod vehementer expoſcimus, is veſtræ hæreſeos pudor, veſtræ ſectæ infamia. Nam faceſſat, quòd

vetu-

vetuſtatis ſpeciem hæreſi veſtræ facturi, hos cum cura, ac ſupercilio numeratis, qui in noſtram pugnauerunt Eccleſiam. Illic victoriam incondita fraude ſtatuitis, illic canitis, Iö triumphe. Quid hoc autem, niſi faſcinum inexpertis obijcere? An ſequitur eò quod hoſtes tunc fuerint nobis, vos patronos, vos amicos habuiſſe; aut tunc etiam omnino vos extitiſſe, qui coli, vel defendi poſſetis? Pugnauere in nos Iudæi, pugnauere gentiles, pugnatis vos. An ſequitur vos ex Iudæorum, aut gentilium caſtris? Quò diuerſi abitis? Iam non quæritur qui à nobis diſſenſerint, ſed qui vobiſcum conſenſerint. & conſenſiſſe tot ſeculis vllos, omninò negamus; nec vos hactenus probauiſtis. Nam quò nomen illorum, quò memoria euanuit? cùm nec veritas adeò vnquam premi, imò nec hæreſis poſſit, vt in totum illam fama deficiat. Chriſtianis interdictum olim foro, Senatu, iure communi; quærebantur ad necem, latebant in antris. Num ideò fama interijt, non dicam Chriſtiani nominis, ſed etiam multorum ex ipſis, qui ita latebant? Imò clari in Eccleſiæ ore viuunt, imò eorum ſecreta,

atque cubilia, apud nos sunt in pretio, in honore. Quot hæreticorum insania gladio Principum pressa, nihilominus sibi nomen à suorum pertinacia quæsiuit? Quid quod illis seculis de quibus disputamus plus viginti sectæ exortæ sunt, quæ in Romanam pugnare Ecclesiam palàm auderent? Cur & vestri igitur illi parentes, illi vestræ religionis antiqui cultores, non ausi promere quid sentirent? Adeone omnibus illis defuit animus, ardorque *coram hominibus confitendi Christum suum*, vt soli timerent, soli tacerent, suæ gloriæ, & sibi creditæ veritatis proditores? illi, inquam, quos vultis solos pios tunc fuisse, solos cæli candidatos? Nam occasio, vt constat, non his minor, quàm cęteris sectis, quæ tunc in Romanam Ecclesiam & acres, & crebræ.

Quęro etiam vbi vixerint hi vestri decessores. An in vrbibus regnisve Catholicis? ergo & se Catholicos simulabant (alioqui de illis quæsisset magistratus) id est, & Missæ nobiscum intererant, sumebantque Eucharistiam nostram, vt minimum semel in anno, cæterisq; ritibus miscebantur, quos in nobis vt flagitio-


gitiosos damnauistis. hoc pacto, quos vultis Ecclesiæ dignitatem tunc solos sustinuisse, illi Christum coram hominibus non erubescebant modò, sed fœdè negabant: fingebant se idololatriæ consentire, peccatorũ Babylonis participes erant. & ne vnus quidem ex illis *ad exemplum virtutis, & fortitudinis*, instar Eleazari, aut Machabæorum erectus est. quo quid in fabellis absurdius? Sin hos vultis extra Catholicorum regna vixisse; quid tunc facilius erat quàm mentem aperire, & religionem vestram sua voce sancire?

Ne multa nugamini. Vel seculis decem, & amplius, (quod monstrum est) omnino intercidit Christi Ecclesia, Spiritus Dei ab ea ablatus; qui Christianorum nomine censebantur, Pseudochristiani, & idololatræ erant, quòd ea crederent, quæ hodie Catholici credimus; Vel nunc vos non in vera, veteriq; Ecclesia, sed in noua hæresi estis. Quæ hæc autem fungorum natio est? quæ sine maiorum serie ignobilis turba? quæ soporem tot ætatum, obliuionemq; officij ascribat Paracleto, & hunc demum glorietur post tot secula excitatum in se florere? quæ

exigere de Ecclesiæ agro veteres colonos meditetur; nec longæuæ Ecclesiæ, sed sibi credi velit de sensu Scripturarum? Pudeat, Deus bone, & illos certaminis, & fugæ hos ex nostris, qui imbecilli animo ad eas laruas perculsi sunt.



CAP.



CAP. VII.

Fidem Romanæ Ecclesiæ, quæ hodie viget, eße ab Apostolis. Eius exordium non posse à Sectarijs designari; nec quando inceperint ea credi quæ nunc carpunt. Ex Sectariorum sententia nunquam Francos, aut Anglos, verè fuisse Christianos. Ecclesiam, nunquam fidem mutauisse; sed tantùm definijsse, quid de fide sit, aut non sit.



SATIS iam nos de illa colluuie. Ac vt scias, Sectarie, quàm vnde exeundum, tam etiam quò eundum; vbi illas Synagogas desperis falso Ecclesiæ titulo sese iactantes, respice ad sanctam Catholicam Ecclesiam, ex qua omnes omni æuo exiere hæretici,

in qua omnes omni æuo fideles vixerunt. Ingens istud, & penè non vnius voluminis argumentum: Non quod obscura res, vel perplexa; sed quia tot in eam rationes à Scripturis, Patribus, atque historijs, vt ex multis pauca eligere sit arduum: & omnia in pauca conferri non possint. In hac messe, satis nobis præcipua aliqua annotare, quæ tibi, si iudicio vti voles, ostendant, Sectarie, *ab ipsis Apostolis nostræ Ecclesiæ originem esse: Eam semper publica, semper eadem fide fuisse; In ea vixisse Doctores sanctissimos, qui vulgò Ecclesiæ patres dicti; In illius denique sinu plures sanctimonia vitæ insignes omni seculo extitisse*. Cæteris indicijs parco, quæ plura supersunt probandæ synceritati Ecclesiæ. Nam hæc quæ posuimus, satis erunt animo bona fide sanari cupienti. Apud malignas autem mentes, superuacua est disceptatio omnis: quippe illis ad ambitiosam potius voluptatem, quàm animi curam hæc quæsita de religione contentio.

Aio ab ipsis Apostolis originem esse Romanæ illius Ecclesiæ, Romanæ illius doctrinæ, quæ hodie viget. Hoc si negant

gant Sectarij; indicent certum tempus quo demũ hæc nostra incœpit Ecclesia, & illa Apostolorum extincta est. Liquidò enim ex historijs, & ipsa confessione hostium constat, fidem Romanæ Ecclesię primis seculis fuisse purissimam. Annos, ac menses, ac propemodum dies, possumus recensere, quo quælibet hæreseon secta exorta est. Si igitur & nos à Christo perennes non fuimus, quid cessant in lucem eruere nostræ religionis cunabula? Quidam ex illis sub quarti à Christo seculi finem volunt excidisse legitima sacra; liberaliores sunt alij, & ea vixisse vno seculo amplius volunt, id est, demum extincta sub quingentesimum annum. Sunt qui dicere ausint, S. Gregorium Magnum, bonorum Pontificum vltimum extitisse, primumq; malorum. Non argumentis, non Philosophia opus est. suopte vitio hæ machinæ cadunt. Ecce ambigitur quo tempore in tam horrendos lapsus quales in Romana fide somniant, Ecclesia sese demiserit. Nescitur, quando de Ecclesia Spiritus sanctus excesserit; nescitur quo tempore cœperint Christiani, Apostatæ atque hæretici esse. Num

in ani-

in anilibus ſomnijs quicquam inſanius? Scitur quo tempore Iconomachi cœperint, quo Ariani, Manichæi, Eutychiani. Scitur, inquam, expreſsè: neque tantùm de ſeculo non ambigitur, ſed propemodum nec de anno. Quando autem celebris illa Romanorum Eccleſia, illamq́; ſequutus Chriſtianorum Orbis, à ſyncera fide defecerit, adeò ſit ignotum, vt hic vnum ſeculum, alius aliud tradat, nec de ipſo tẽpore certò pronuncient? Adeòne res vana, aut obſcúra, vt lateat? Nugæ, deliria.

Sed & cogitent iſti Sectarij, vt ſubſtantiam apud Philoſophos, ita fidem apud verè Chriſtianos non recipere plus, vel minus. Vbi fides in aliqua ſui parte corrupta eſt, non eſt amplius fides. Non eſt ergo vt referant, ideò non ſatis definiri tempus poſſe, quo Romana Eccleſia deſijt eſſe Chriſti Eccleſia; quia errores in illam varijs temporibus, ac veluti non vnico æſtu, allapſi ſunt. Vanus, inquam, hic fucus; quandoquidem deſijt eſſe Chriſti Eccleſia, non tunc demum cùm diuerſis erroribus obſoleuit; ſed ſtatim ac primo errori in fide apud ſe locum fecit.

Qualis autem primus hic error? quo tempore infecit Ecclesiam? Sub quo Pontifice? quo teste? quo authore. Et quod caput est; quis veterum reluctatus? Nam sit prorsus insignis amentiæ, si reclamasse neminem putes; sed omnes omnino Ecclesias statim cum Romana in hæresi conuenisse; præsertim si, vt vultis, Romana non erat cæterarum omnium caput. Hæc explorare debuistis Sectarij; hæc ostendere: quæ prima hæresis, quæ secunda; & Ecclesiæ fidem, quæ præcessit heresim illam primam, in omnibus sequi. Sed nihil horum factum. Turbulento odio proclamatis, Romanam Ecclesiam, *Apostaticam, & adulteram* factam; nec quando hoc nefas admiserit, tot adhuc studijs, & tam diligenti odio à vobis repertum est. *Incæptus clamor frustratur hiantes.*

Volunt igitur precipui vestri duces, exerrasse Ecclesiam, circa quingentesimum Christi annum. Vide porrò quid inde sequatur, Sectarie; & siue Gallus es, siue Germanus, aut Anglus, quàm pudendo flagitio oneres tuam gentem. Inde enim sequi necesse est synceram Christi fidem nunquam Francis illuxisse:

sed

ſed *à paganiſmo* ipſos non tam ad fidei Solem, quàm ad aliam noctem, & hęreſim eſſe prolapſos. Quippe Rex Clodouæus, demum in fidem Christianam receptus eſt, Anno Chriſti quadringenteſimo nonageſimo nono. Falsò igitur Chriſtianiſſimi Reges dicti, qui nunquam verè ac propriè Chriſtiani. Neceſſe & Saxones, qui hodie Angliam colunt, nunquam verè fuiſſe Chriſtianos; quippe qui fidem circa annum Domini ſexcenteſimum ſuſceperunt. Quid de Germanis dicam, maximèq; Saxonibus, qui circa annum ſeptingenteſimum octogeſimum à Carolo Magno domiti, Chriſti fidem amplexi ſunt? Vbi illorum populorum ingenium, vbi contumeliæ impatiens animus, & ad minores iniurias ſæpe exæſtuans? Negant iſti Sectarij Maiores vnquam veſtros in legitima Chriſti fide vixiſſe? Et vos hoc auditis? hoc fertis? nec in ora inuolatis, per tam fœda conuitia veſtras gentes calcantium? Nihil hìc nimis; nihil ad Sectariorum inuidiam fictum. Nam ſi admittis, Sectarie, imbutum vera fide Clodouęum, ſi Anglos, ſi Germanos; concedere prorſus debes, ve-
ram

ram ergo Christi fidem adhuc illis seculis viguisse; nempe quingentesimo, sexcentesimo, septingentesimo, & amplius anno: cui consequens erit, vt (quod præcipuè horres) quęcunque vera illa Ecclesia publico consensu probauit, & te quoque probare oporteat; nempe Sacrificium Missæ, Potestatem Pontificis, Purgatorium, implorata Sanctorum suffragia, &c. quæ omnia nec ipsi negare audetis iam illis seculis in Ecclesia fuisse solemnia. Sin illas gentes negas ad Ecclesiam accessisse adhuc integram, adhuc veram; non te in indignam inuidiam, sed in iustum odium apud hos voco, quorum patres vt profanos ac miseros, vis nunquam à Christi Spiritu didicisse quo ritu propitiari voluerit.

Referetis forsitan, Ecclesiam non fuisse amplius puram (quippe admistis ex traditione hominum ritibus multis) sed necdum impuram; Instar vini in acetum degenerantis, aut aquæ, quam limpidam miscere tempestas cœpit. At iam antè ineptissimæ obiectioni respondimus. Nescit in eiusmodi medio stare Ecclesia. Vel errat in fide, vel non errat. Statim ac

errat,

errat, definit esse vera & vna Ecclesia: quamdiu verò non errat, sine sacrilegio non ab illa discedi tur. Accedit non minimos, vestro iudicio, iam errores, his de quibus agimus seculis illapsos Ecclesiæ; nempe Missam, Pontificem, Purgatorium, liberum arbitrium, Monachorum vota, inuocationem Sanctorum, &c. Si cum illis, vt vocatis, erroribus consistere potest legitima, pura, vera Ecclesia; quid nostram Ecclesiam ob res easdem tam sæuiter proscripsistis? toties *apostaticam* inclamastis? Si non potest consistere; Age ergo, nec pudeat confiteri, Francos, Anglos, Germanosque, qui in hos ritus initiati sunt, nunquam prorsus extitisse, in legitima, vera, pura Ecclesia.

Sed cur hæc monstra fingitis vobis? quid res extra historiarum fidem? Dicitis varios errores sigillatim, eosq; horrendos, in Ecclesiam irrepsisse. Vnde autem Christianorum illa patientia? vnde consensus? vt errores singulos adhuc nouos, recentesque, sine motu, sine disceptatione reciperent? Longè alius mos æui illius. In lucem noua sententia vt prodibat, Pastorum animi in Occidente, in

Oriente erigebantur; de ea quæri placebat: Si hæreticam censuissent, statim acerrimis decretis arcebatur; sectatores habebat, schisma fiebat. In hunc modum hæreses omnes ortæ: In hunc modum ab hæresibus pura semper Ecclesia. Iam autem, verbi causa, quando Purgatorij doctrina inuecta est (vultis enim inuectã; non ab Apostolis manauisse) quis tandẽ repugnauit? quis secessit in partes? Idem de adoratione Eucharistiæ dixerim, de veneratione Reliquiarum, deque cæteris, in quæ pugnatis. Quid quod Hæresiarcharum nomina neutiquam latent? nec tantùm eorum qui grauissima fidei capita, sed & eorum qui leuiora, vt sic dicam, corruperunt? At verò Purgatorij author quo nomine fuit? quis author Martyres, Sanctosq; inuocandi? imò, quando hi primùm ritus in Christianis inualuerunt? Vetustissimos authores proferetis, & qui in scriptis forsitan primi de illis meminerint; non tamen vt de rebus suo tempore demum natis, sed in Ecclesia iam certis, iam antiquis. Denique in his ipsis, quæ nunc estis adorsi euertere, accidit quod & in illis, quæ iam olim oppu-

gnarunt hæretici; vt nimirum inuenirentur, qui ista dogmata improbarent, sed ista iam antiqua, iam vetusta fide recepta. Veluti nil inter se Christiani dissenserunt, cùm cœptum est credi, Christum Dominum esse Patri æqualem; Christum Dominum veram carnem assumpsisse; Christum Deum ex Virgine natum; Vnũ Deum esse omnium rerum principium; Hominem vi liberi arbitrij, sine Dei gratia, non posse ad salutem peruenire, &c. Postea exortus est Arius, qui Christi diuinitatem sugillaret; Valentinus & Marcion, qui negarent verum, & humanum corpus Christi fuisse; Nestorius, qui sanctissimam Virginem nollet dici Deiparã. Manichæus, & Apelles, qui duo rerum principia esse docerent; Pelagius qui liberi arbitrij dignitate Dei gratiam vellet excludi. Sic cùm primùm credidere Christiani, Missam esse Sacrificium propitiatorium, verum Domini corpus in Eucharistia succedere substantiæ panis, Purgatorij igne leuiores maculas abstergi, beatorum spiritus precibus compellandos, nemo Christianorum intercessit; ex tot Ecclesijs, sparsis vbiq;, nec vel vna

repu-

repugnauit. Temporum deinde successu reperti sunt qui in hunc Ecclesiæ consensum attollerentur; quibus non satis fuit Christiani Orbis authoritas, non decreta Pastorum, quin in contrarium argumenta torquerent. Vbi eratis Sectarij, cùm ea cœpimus credere quæ modò negatis? quid facitis nisi quod iam olim hęretici? solicitare Ecclesiæ pacem, in eius consensum erigi; nec quid credat Ecclesia, sed cur credat, superbè, & tanquam pro imperio, explorare.

Sed negatis scilicet nostram Ecclesiam esse illam Orthodoxam, illam ab Apostolis conditam, in quam olim pugnauere hæretici; à qua abire, flagitium: quia (inquitis) Christi præceptis non contenta hæc nostra, vbicunque illi visum aut commodum, condit articulos nouos, fidemq; Christianam ad libitum auget, scindit, immutat. Id scilicet, apud populum Ministri vestri iactant, hìc inani verborum pompa luxuriant, oriri quotidie in Romana Ecclesia nouas fidei partes, antiquas euerti; & hoc ius à Pontifice vsurpatum, quid aliud significare, quàm eum esse *filium perditionis, qui extollitur*

ſupra omne quod dicitur Deus? Bona verba, Sectarij. Si à Petro Apoſtolo ad Paulum, qui hodie feliciter ſedet, probetis aliquid ab Eccleſia inter fidei partes vllo æuo eſſe receptum, ac deinde pro dubio vel falſo reiectum; ad vos ego tranſibo, Eccleſiam adulterij damnare non verebor. Sed hæc ſunt inuerecunda Miniſtrorum mendacia, quæ inulta ſuperbè ferociunt; deprehenſa ſordidè torpent.

Quid? (inquies.) An omnia quæ iam de fide eſſe, Romana docet Eccleſia, ab initio Chriſtianæ fidei decreta fuerunt? Audi Sectarie; Primùm aſſerimus, nil quod olim *de fide* fuerit, iam non eſſe *de fide*; deinde, nihil quod iam *de fide* eſt, vetitum olim, proſcriptumq; fuiſſe. Sed eſt præterea omnibus ſeculis à Chriſto ad nos frequens, vt de quæſtionibus, de quibus ſiue fideles, ſiue hęreticos, nouis litibus diſceptare contigerit, pro imperio iudicet ſancta Eccleſia; & quodcunque illi Spiritus Dei ſuggeſſerit, ita ſanciat, ita declaret, vt hoc ipſum de fide Chriſtiana deinceps teneamus, quod de fide forſitan nobis antè non erat. Perſæpe hoc factum: Nec abſurdum, vt de-

inceps

inceps etiam, de varijs rebus more eodē decernat Ecclesia, quas hodie pro arbitrio impugnamus, aut probamus. Quippe ius suum semper tenuit, semper agnouit constituendi quæ probanda, quæque improbanda, fidelibus; non quidem, vt fingunt hæretici, immutando, aut abolendo quæ antè receperit. (Nam hoc esset vel ius sibi in Deum vindicare, si acceptam ab eo fidem euerteret; vel seipsam erroris arguere, quæ pro fidei articulo coluisset, quod reuera de fide non fuit;) Sed audiendo Iesum Christum, & Spiritum sanctum; & ex voce illorum decernendo de sensu Scripturarum; qui mos (vt diximus) cum Ecclesia natus, in Ecclesia frequens. Ita Apostoli (Act.xv.) *Visum est Spiritui sancto, & nobis*. Ita Patres Ephesini, in Nestorium, *Dominus Noster Iesus Christus, &c. per sacram hanc Synodum decernit, &c.*

Nec mirere, posse Ecclesiam hæc ad fidem reuocare, quæ dubia anteà erant. Vis exemplum? In ipso Christianorum ortu, *de fide* non erat, eos qui ex gentibus ad Christum accesserant circumcisioni subijci non debere. id est, non ita de-

cretum ac publicatum erat, vt hoc credere omnes fideles tenerentur. Factum est porrò *de fide*, posteaquam in Concilio Hierosolymitano statuerunt cum Spiritu Sancto Apostoli, nec circumcisionem, nec cęteras Iudaicæ legis partes, necessarias esse fidelibus. Quòd ab illius Concilij tempore, *de fide*, hoc fuerit, Christianis omnibus certum. Nam quis possit ambigere, an necessarium sit ad salutem circumcidi, cùm solemne Apostolorum Concilium Deo authore statuerit, id necessarium neutiquam esse? Quòd verò antea fuerit res perplexa, ex Scripturis liquidò constat. Verba sunt; *conueneruntque Apostoli & seniores videre de verbo hoc. Cùm autem magna conquisitio fieret, surgens Petrus, &c.* Nisi antea incerta res fuisset, non *conuenissent videre de verbo hoc*, sed *conuenissent damnare*; nec *magna conquisitio* extitisset, quæ omninò disceptationem in vtrumque significat, sed aperta vno ore damnatio. Cùm de Christi morte actum, de resurrectione, de ascẽsu ad cælum, vides nihil deliberare Apostolos, sed vt tubas omnia sua voce complere. Hic verò conueniunt, hic anxiè

quæ-

quærunt. Anceps ergo res mortalibus erat, & quæ Spiritus sancti voce eguerit.

Sunt & alia in eam rem exempla. Sanctus Cyprianus Carthaginensis Episcopus, & cum illo lxxx. Episcopi, censuerunt baptisma hæreticorum irritum esse, & à Catholicis iterandum. Nec hæreticos tamen dixeris. Nondum enim Ecclesia rem omninò statuerat. At si quis nunc post Nicænum Concilium, post primum Carthaginense, post aliquot alia, quæ de eâ re decreuere, post consensum denique, iudiciumq; Ecclesiæ, hanc Cypriani sententiam laudet, sit ille prorsus hæreticus. Chiliastæ priscis temporibus tolerabantur, (nam & in ijs sancti aliquot viri) commenti Christi regnum, post supremi iudicij diem, mille annorum in terris. At post Ecclesiæ de eo commento iudicium, quod opinio olim fuit, nunc hæresim dicas. Tres in Deo Hypostases dicere abnuebat Hieronymus, donec vocis nouitatem probauisset Ecclesia. Orat igitur Damasum Papam, vt de tanta re sententiam ferat. Non quòd sit in Ecclesiæ vel Pontificis potestate, facere vt três sint in Deo Hypostases, vel vt

non ſint. Sed quòd ſit de iure illius, decernere, nobisq́; oſtendere, vtrum ſint, an non ſint, illæ hypoſtaſes.


Deſinant igitur turbellas excitare Sectarij; neque fidei noſtrę partes inuerti, mutari, corrigi, à Pontifice, & Concilijs iactent. Nil correctum, nil inuerſum, nil mutatum inuenient. Quod ſemel decretum eſt, vt *de fide* habeatur, omnes, & ſemper tenet. Sed quid mirum, ſi Epiſcopi, ſi Apoſtolorum ſucceſſores, Apoſtolorum exempla ſequuntur, ſi de dubijs quærunt, ſi quod Spiritu duce credendum inuenerint, ſuo gregi proponunt? Cur enim iam non poſſit quod potuit olim Eccleſia? Quo iure decernere Damaſi fuit, vtrum tres in Deo Hypoſtaſes ſint dicendæ, (potuiſſe vero Hieronymus probat, longa ad illum ſeriaq́; Epiſtola) niſi quo in ſimilibus rebus, id eſt, dubijs, necdum in Eccleſia definitis, potitur hodie Paulus V? Experire, Sectarie, explora; inuenies fidem noſtram ſibi conſtare; cui ſi quid accedit, id neque in receptas iã fidei partes pugnat; neque ab Eccleſia fit de fide; ſed eſſe de fide declaratur, exẽplo omnibus ſeculis repetito.

At

At dices, In Scholis quantæ lites? quanta argumentorum pugna? Vt Scotistæ à Thomistis, vt hi ab illis dissentiunt? quot deinde eruditi, quibus firmare suas sententias placeat, exagitare alienas? An hoc autem cum Ecclesiæ pace conueniat, quam vnam, & vnius iudicij esse iactamus? Omnino, Sectarie. Quæ in Scholis eo modo Theologi versant, res sunt dubiæ, res adiaphoræ, quibus credendis nulla necessitas, reijciendis hæresis nulla. Vnusquisque in suo sensu abundat. Non ex imperio fidei, sed ingenij arbitrio, quæ in eiusmodi controuersias cadunt, reijcimus vel laudamus. Caue ergo, Ecclesiam, (cui inconsutilis tunica est) ob eiusmodi licitas lites tibi ipse effinxeris, diuisam, laceram, in lunæ *modum* instabilem; cùm è contrario sit sola quæ non sibi aduersetur, & in Sponsi sui modum, *quod semel assumit non dimittat*. Longè aliter hæreses; & ipse Lutherus; qui initiò Missę patronus, mox hostis illius; nunc purgatorij assertor; mox in illud violentus: cuius denique scripta inter se contraria cùm in conuentu publico, à Catholico proderentur, patronum in-

uenere Nobilissimum Lutheranum, qui tanquam risum Catholicorum captauisset, *Fortè*, inquit, *plus decennio est, ex quo hæc à Luthero sunt edita.* Quasi apud hęreticos veritas ad omnia lustra mutetur. Forsan Erasmo plusquam mihi credetis, Sectarij. Audite castigantem vestrę leuitatis ineptias. Lib. III. de Liber. Arbitrio. *Quid hìc commemorem*, inquit, *quanta inter Euangelistas, sic enim ipsi se vocant, dissensio, quàm atrox odium, quàm amarulenta contentio, imò quanta inconstantia; cùm ipse Lutherus toties mutarit sua placita, & subinde noua paradoxa suppullulent?*





CAP.



CAP. VIII.

Miris modis, & rationibus, Deum potestatem Ecclesiæ extulisse. Quòd Romana Ecclesia sit Ecclesia Orthodoxa, constare ex fide quam Antiqui Patres suis scriptis professi sunt; & Sanctorum pietate, qui omni seculo in ea floruerunt.

AVDI Sectarie, & inclina aurem tuam ad concupiscendum decorem Ecclesiæ. Noli fastidioso nutu illius imperium aspernari. Sancta ipsi potestas, ac penè immensa, à Christo commissa est. Nam quid augustius, quàm soluere in terris quæ in cælo sint soluta, & quæ hic vincula iniecerit, ne in cęlo quidem solui? Quicunque non habuerit illam matrem, frustra sperat Deum patrem. Importuna superbia est, in

in illam extolli, cui credere iubemur, à qua regi, à qua doceri.

Vide porrò quàm ſemper ac multum, Chriſtus Dominus illi credi voluerit. Poſteaquam reſurrexit, *Deus dedit eum manifeſtum fieri* (Act.x.) *non omni populo, ſed teſtibus præordinatis à Deo*; id eſt, Apoſtolis, & diſcipulis qui tunc Eccleſiam conſtituebant. Si publicè Iudæis conuixiſſet, ſi docuiſſet in media templi luce, ſi vt Thomæ dubitanti, ita omnibus ſeipſum prębuiſſet, quis in gentibus, quis in Iudæis non crederet? Sed ò vias Domini longè à noſtris! Voluit vt Iudæi, ac gentes, non oculis ipſi ſuis, ſed docenti Eccleſiæ fidem haberent. Ac vt pauculos olim panes, ſed in fœcunda, & aliquot hominum millibus ſuffectura alimenta laxatos, Apoſtolorum manu diſtribuit; Ita per illos vitæ ęternæ verba miſit, quibus ad ſalutem paſceremur, credendo, parendo, exuendo proprij iudicij ſenſus.

Intuere deinde qua ratione, quo ſtylo, voluerit Euangelia ſcribi, Apoſtolorum Actus, Epiſtolas; (vt Apocalypſim prætercam, in qua penè pręter nomen rete-

ctum

ctum nihil habes.) Alta omnia, recondita, plena ſanctiori caligine; Cur id verò, niſi vt fideles in humilitatem demiſſi, ab Eccleſiæ authoritate penderent, cui exponēti Scripturas idem Spiritus adeſt, qui adfuit conſcribendis? Omninò præuiderat Chriſtus orituros Arianos, Pelagianos, Donatiſtas, & cętera hæreticorum caſtra, & ab ipſis Scripturis capturos occaſionem errandi: Cur non in Euangelio loquutus expreſſius? cur non eo ſermone qui nec ambiguus eſſet, nec perplexus, nec obſcurus, tot furores anteuenit? Neſciuit hæc ſcandala Deus, an occurrere non potuit tantillo remedio? Imò hoc ipſum ad Eccleſię decus. Voluit illinc ſuæ ſponſæ maieſtatem accreſcere, quę ſola de eiuſmodi controuerſijs diſceptaret; Suos autem electos *fieri paruulos* (vt ad ſubeundum cælum neceſſe eſt,) & proprij ingenij ſenſu deſpecto, exponenti Eccleſiæ adhærere.

Non vult quidem peccatoris interitum; ſed quo ſenſu cor Pharaonis dicitur induraſſe, iſthic quoque & plagas hæreticis ponit, qui nolunt contra proprij iudicij *phantaſma* edoceri; ſed ſuæ ſcientię fide-

fidere, erigiq; in superbiam, quod est primogenitum peccatorum. Nam non primùm hoc seculo graue fuit hæreticis, quod in nostra Ecclesia, credere homines iuberentur, & suis sensibus, suis iudicijs imperare. Augustinus lib. 1. Retract. Cap. XIIII. *Scripsi librum, de vtilitate credendi, ad amicum meum, quem deceptum à Manichæis, adhuc eo errore noueram detineri, & irridere in Catholicæ fidei disciplina, quod iuberentur homines credere, nõ autem quid esset verum, certissima ratione docerentur.*

Neque neges, Ecclesiam nostram, illam esse Ecclesiam, cui data hæc sancta potestas est, cuius Authores à Christo fuere Apostoli, cui omnibus seculis Orthodoxæ & Catholicæ nomen fuit. Iam in eam rem multa nos suprà, nõ incertis, aut perplexis indicijs; multa & alij sepe dedere. Sed est præterea quo hic oculis tuis lumen, modò non inuitis, spargamus. Cuius enim Ecclesiæ membra fuisse existimas Sãctissimos Patres, Irenæum, Dionysium, Ambrosium, Hieronymum, Augustinum, Gregorium Nazianzenum, Cyrillum Hierosolymitanum, Iustinum

Mar-

Martyrem, Ioannem Chryſoſtomum? Plures protulerim; ſed teſtium nubem nolo. Haud dubiè Orthodoxos & Catholicos fuiſſe fateberis. Nemo enim illorum in hæreſeos ſuſpicionem venit, nemo non litteris & ſanctitate notiſſimus, nemo non ijs ſeculis vixit, quæ vt incorrupta extollitis. Conferamus igitur veluti in tabulam, ex ſcriptis eorum, lineamenta fidei, in qua vixerunt; vt tu proculdubio veram Eccleſiam eſſe ſcias, in qua vnica fides illa ſeruatur.

Irenæus Lib. III. Cap. III. *Ad hanc enim* Romanam *Eccleſiam propter potentiorem principalitatem neceſſe eſt omnem conuenire Eccleſiam, hoc eſt, eos qui ſunt vndique fideles; in quà ſemper ab his qui ſunt vndique, conſeruata eſt ea, quæ ab Apoſtolis eſt traditio*. Dionyſius, Capite I. Eccl. Hierarch. *Primi illi Sacerdotali munere duces, ſumma illa, & ſuperſubſtantialia, partim ſcriptis, partim non ſcriptis inſtitutionibus ſuis, nobis tradiderunt*. Ambroſius Oratione in Satyrum: *Percunctatus Epiſcopum eſt, ſi cum Epiſcopis Catholicis, hoc eſt, ſi cum Romana Eccleſia conueniret*. Hieronymus Epiſtola

ſtola LVII. Ad Damaſum Papam. *Ego nullum primum, niſi Chriſtum, ſequens, beatitudini tuæ, id eſt, cathedræ Petri communione conſocior. Super illam Petram ædificatam Eccleſiam ſcio. Quicunque extra hanc domum agnum comederit, profanus eſt. Si quis in arca Noë non fuerit, peribit regnante diluuio.* Idem in Epiſtolam ad Philemonem. *Meritò Apoſtoli voce laudatur* Philemon, *quòd mandata eius opere præuertat, & poſſit dicere, Voluntaria oris mei complaceãt tibi, Domine; pluſque faciens quàm præceptum eſt, vincat eos qui tantummodo imperata fecerunt, & iubentur dicere, ſerui inutiles ſumus, quod debuimus facere fecimus. Virginitas quoque maiori præmio coronatur, quia præceptum Domini non habet, & vltra imperata ſe tendit.* Auguſtinus Lib. IX. Confeſſ. Cap. XII. *In eis precibus quas tibi fudimus cùm offerretur pro ea* matre mea mortua, *ſacrificium pretij noſtri, iam iuxta ſepulchrum poſito cadauere*, &c. Et Lib. II. De Geneſi, contra Manichæos, Cap. XX. *Sed qui fortè agrum non coluerit, & ſpinis eum opprimi permiſerit, habet in hac vita male-*

maledictionem terræ suæ in omnibus operibus suis, & post hanc vitam habebit vel ignem purgationis, vel pœnam æternam. Gregorius Nazianzenus Orat. XIV. vbi de obitu patris sui Gregorij. *Nunc magis proficit nobis precibus, quàm antea doctrina.* Ambrosius Libr. De viduis. *Obsecrandi sunt Angeli pro nobis, qui nobis ad præsidium dati sunt: Martyres obsecrandi, quorum videmur nobis quoddam corporis pignore patrocinium vendicare. Possunt pro peccatis rogare nostris, qui proprio sanguine etiam si qua habuerunt peccata, lauerunt. Isti enim sunt Dei Martyres, nostri Præsules, speculatores vitæ, actuumq; nostrorum. Non erubescamus eos intercessores nostræ infirmitatis adhibere.* Cyrillus Hierosolymitanus in IV. Catechesi: *Aquam aliquando mutauit in vinum, quod est sanguini propinquum, in Cana Galilææ sola voluntate, & non erit dignus cui credamus, quòd vinum in sanguinem transmutauit? Quare omni certitudine corpus & sanguinem Christi sumamus; nam sub specie vini datur sanguis, &c. Ne ergo consideres tanquam nudum panem, & nudum vinum; corpus*

enim est & sanguis Christi, secundum ipsius Domini verba. Quamuis enim sensus hoc tibi suggerit, tamen fides te confirmet, ne ex gustu rem iudices. Deinde. *Hoc sciens, & pro certissimo habens, panem hunc qui videtur à nobis, non esse panem, etiamsi gustus panem esse sentiat; sed esse corpus Christi; & vinum quod à nobis conspicitur, tametsi sensui gustus vinum esse videatur, non tamen vinum, sed sanguinem Christi esse*. Iustinus Martyr in Apolog. ad Antoninum: *Nisi libero arbitrio genus humanum, & res turpes fugere potest, & pulchras ac bonas sequi, extra causam, culpamq́; est eorum quæ quoquomodo aguntur. Sed ipsum, libero arbitrio, liberaq́; voluntate, & rectè facere, & peccare docemus*. Ioan. Chrysostomus, Homil. LXXXVII. in Ioannem, sic Petrum loqui facit, tristem quòd Iesus, tertiò quæsijsset, Petre amas me? *Propterea contristatus sum, ne fortè me amare arbitratus, non amem; vt antè cùm me fortem & constantem putarem, imbecillis inuentus sum*; & Homil. XI. in primam ad Corinth. *Multis de causis incertum est nostrum iudicium; vna, quòd*

multa

multa opera nostra nos lateant.

Iungamus hæc, si lubet, symbola sanctissimorum Patrum, dispensatorum domus Dei. Animaduerte porrò, Sectarie, cuius Ecclesiæ faciem hæc tantorum artificum pictura constituat. *Necesse est omnes fideles conuenire ad Romanam Ecclesiam. Non tantummodò scriptis, sed & traditionibus, Christi discipuli nobis quod crederemus reliquere. Ex eo quod quis cum Romana Ecclesia conuenit, scitur illum conuenire cum Episcopis Catholicis. Episcopus Romanus est Petri successor, neque vlla salus est, nisi in communione illius quam regit Ecclesia. Multa sunt, eaque Deo gratissima, supererogationis opera, quæ nempe præceptum Domini non habent, & vltra imperata se extendunt. Ecclesia pro mortuis orat. Eucharistia est sacrificium, & ab Ecclesia Deo offertur pro mortuis. Sunt duo pœnarum genera post hanc vitam, ignis purgatorius, & æterna supplicia. Sancti orant pro nobis in cælo, & ipsi à nobis orandi sunt, vt nos precibus suis iuuent. Christus in Eucharistia verè transmutauit vinum in sanguinem suum; vt in nuptijs ad Canam*

Galilaea mutauerat aquam in vinum. Pro certissimo habent Christiani, panem, qui videtur in Eucharistia, non esse panem, etiamsi gustus panem esse sentiat; sed esse corpus Christi; item vinum etiamsi gustus vinum esse putet, non esse vinum, sed sanguinem Christi. Liberum arbitrium est in nobis ad bene vel secus agendum. Christiani de sua salute incerti sunt.

Ecce tibi, Sectarie, sanctissimorum, vetustissimorumq; Doctorum, sine fuco, sine fraude sententias; quos certum est in vnius Catholicae Ecclesiae communione vixisse, charitatis inter se, & fidei vinculis, nexos. Certum hoc, inquam. Nam si dixeris hos fuisse diuersarum Ecclesiarum viros, & vnum alteri haereticum visum; in te pugnabunt omnes historiae; teque inscitiae, aut pugnantis in verum audacię conscientia ipsa damnauerit. A quo enim docto, ac probo vllus eorum haereseos arcessitus? aut quae suorum temporum Ecclesia in illos est inuecta? quis ab eorum communione refugit? Denique quis eorum non alterum laudat? Et his porrò seculis floruerunt, quibus impune non erat, vestrò quoque iudicio, vel minimum

de

de fide delibare. Ita Iſ. Caſaubonus in Epiſtola iuſſu Sereniſſimi Britanniarum Regis ſcripta ad Illuſtriſſ. Card. Perronium, Obſeru. I. cùm de illo æuo ageret. *Auſus erat aliquis fidem toto Orbe approbatam, quamuis leuiter incruſtare? facile erat vel puero τὸν ἑτεροδοξοῦντα in ſua nouitate deprehendere. Fure autem veritatis deprehenſo, omnes Paſtores totius Orbis, ſi opus erat, commouebantur: nec ſemel commoti prius quieſcebant, quàm de medio malum ſuſtuliſſent, & ſecuritati ouium Chriſti conſuluiſſent.* Ergo ex veſtra quoque ſententia, Fidem nec minimum hi Patres violabant, quorum apertiſſimas in vos ſententias modò protulimus. imò nec noui aliquid afferebant; ſed receptam iam antea fidem. Quippe nec à ſui ſeculi vllis, *accuſati nouitatis:* Neque *Paſtores Orbis* in eos commoti: Neque quicquã ab Eccleſia decretũ in illos eſt. Quid plura? etiam ſoletis triumphare ſi ex eorum ſcriptis exculpi quid poſſit, quo putetis veſtros errores adornari.

Cùm igitur in Eccleſia Catholica vixerint iſti Patres, cùm ab illa ſint edocti, & in illa Doctores extiterint; ſequitur, &

&nunc illam Ecclesiam esse Catholicam quæ iam sentiat, quod tunc illos sensisse liquidò constat. Nemo, nisi ex insanis, hoc neget. Nunquam enim veritas, id est, nunquam Ecclesiæ doctrina, mutabilis.

Restat itaque vt sanctè quęramus, quæ sit Ecclesia, quæ hodie sentiat, quod hos olim sensisse ostendimus. Nulla omnino præter Romanam Catholicam. Vides enim de illis fidei partibus, de quibus nobiscum litigatis, eorum calculos qui vos damnent, qui nobis consentiant, adeò multos, publicos, certos, vt sit facilius dubitare an omnino scripserint, vixerintq; isti Patres; quàm de hæresibus vestris quid vno, ac veluti præsago consensu, crediderint.

Nec dicatis næuos esse, quos in illis collegimus; & nos illarum sordium, non integritatis, successores. Frigida,& inepta responsio. Eanè adeò leuia, vt sint næui non hęreses? Si panis quem in Eucharistia videmus, panis est. Si Papa, non est illius Ecclesiæ rector, extra quam non est salus. si Electi sunt certi de salute; si Ecclesia non offerebat pro mortuis

Eucha-

Eucharistiæ sacramentum,&c. næuos putes, an hæreses, in contrarium sentire ac docere? Cur hęc igitur ipsa iam in nobis damnatis vt hęreses? cur adeò turbulento diuortio, eorum gratia, Rempublicam & Ecclesiam euertistis hoc seculo? Si hos inquam (vt dicitis) næuos, in sanctis & Orthodoxis viris, sine rixa, sine tumultu olim tulit Orthodoxa Ecclesia; vnde noua ferocitas, vt qui idem sentiunt, iam sint vobis idololatrę, impij, proditores Scripturarum?

Sed ò vos pro tribunali scilicet, de Ecclesia, de Patribus iudicantes! Næui sunt? quis probatæ doctrinæ id antehac illis obiecit? Quis veterum Christianorum has in ipsis quas modò laudauimus sententias reprehendit? Et ne dicas ommissas, contemptasve, quòd de exiguis agerent, ad quæ non se demittat in maioribus occupata Ecclesiæ cura; sunt de grauissimis rebus, sunt publicæ, sunt vt plurimùm ab Episcopis ad instruendos populos scriptæ. Num enim non fuere Episcopi Irenæus, Ambrosius, Nazianzenus, Cyrillus, Augustinus? Nec omiserim, quòd hi plerumque non ex suo tan-

tùm ſenſu loqui ſe aiunt; ſed ex communi Eccleſiæ ritu. Nec tàm enim Auguſtinus hic docet ſacrificium pro mortuis offerendum, quàm enarrat quid egerit ipſe, dum Chriſtiano more Sacrificium Euchariſtiæ, pro ipſius matre defunčta, fideles offerrent. Et Cyrillus *de fide* Chriſtiana eſſe docet hanc ſuam, imò noſtrã, de Euchariſtię ſacramento ſententiam. Iuſtinus quoque Martyr ait, *Chriſtianos docere*, liberum arbitrium ad peccandum, aut rectè viuendum, in homine eſſe.

An illi ignorarent quid de iſtis ſuo ſeculo ſentiret Eccleſia? An impudenter, atque impune, de doctrina Eccleſiæ mentitos exiſtimes? Igitur ſi hi næui; non ſunt næui Patrum iſtorum, ſed ipſius Eccleſiæ næui. Cuius autem Eccleſiæ? ſanctæ illius, Apoſtolicę, Primitiuæ, illorum denique ſeculorum, cuius fidem damnare Lutherus, Caluinusq; erubuit. Accuſamur igitur, damnamurq; à vobis, quòd ſimus in Eccleſię fide, quæ fuit Martyrum æuo, crimen eſt ea ſentire quæ tunc docebant Chriſtiani; Et vos miſera fraude, illam quidem Eccleſiam colere ſimu-

latis

latis (nam quò aliter apud populum vobis authoritas?) nos autem, quòd cum illa ſentiamus, vltimæ impietatis viros eſſe contenditis. An vllis ſtellionibus in diuerſum tã facilis color? Vidi in Sectarijs multos, literarum quidem amantes, ſed quos alia ſtudia, curęq́; diuerſæ, ab eruendæ veritatis cura arcuerant, qui ignari, vel ætatum quibus Patres Antiqui vixere, vel ſententiarum quas nobis reliquerunt, vbi quid eiuſmodi prodebatur, confuſis animis ad rem inſperatam ſtupeſcerent: Sciant illi neminem horum Patrũ, quorum hic verba protulimus, Auguſtino & Chryſoſtomo recentiorem eſſe; quorum tamen & doctrinam, & ſeculum, Sectariorum ſæpe pręcipui laudare, ac ſequi ſe fingunt.

Ex his, Sectarie, liquidò ſcias, Eccleſiam noſtram, Eccleſiam eſſe Catholicam. Nam in Eccleſiæ Catholicę ſinu vixere illi Patres, & de fide Chriſtiana cum ea ſenſere. quæ autem iam ſentiat idem quod illi, nulla eſt in Orbe terrarum præter Romanam Eccleſiam. Eſt ergo proculdubio illa Catholica. Agnoſce nunc ſanctiſſimam ſpeciem ſponſæ Dei, & illi

illi te dede. Preciosa est seruitus in tantæ Matronę familia esse. Scias denique non Ministris tuis, aut tibi; sed illi, scientię claues datas. quòd si quid doceat sensui tuo aduersum, adeò vt dicere possis, *durus hic sermo est*, noli cum Capharnaitis auerti; sed intellige te humano, & imbecilli ingenio niti, illam porrò diuino. quęsiturum etiam aliquando à te Deum, quàm illi fueris obsequens, quàm ad credendum pronus, cui credere iussus eras; non quàm anxiè, aut ingeniosè, de rebus disputaris, quæ non tibi priuato homini, sed Ecclesiæ creditæ erant.

Prolixior iam non ero in probanda tibi Ecclesia, à diffusione doctrinæ quæ omnes Orbis partes sua sanctitate persuasit; ab vnitate fidei, quam tot locorum diuortia non corrumpunt; à nomine Catholicæ, quod extorquet ab inuitis hęreticis. nam si apud Lutheranum Catholicos nomines, non eo nomine Caluinistas, sed nos ille designatos intelliget. Sin loquaris Caluinistæ, & de Catholicis agas, nos etiam eo nomine non Lutheranos censuerit. Hæc, inquam, omitto. Illis scribo qui sanari non grauentur, nec

qui

qui diſſentire, aut diſputare malint, quàm ex diſputatione vera colligere. Liquidiſſimas rationes quas antè poſuimus, libet non amplius; quàm vno argumento, tanquam gemma, cęlare; Noſtram eſſe Eccleſiam, quæ omni tempore homines aluit ſanctitate ad miraculum claros; eruditionis etiam tantæ, vt ſcias non ineptia eos, ſed maturo, egregioq; iudicio, ad ſeueram pietatem diuertiſſe. Quid Bernardus? Quid Thomas Aquinas? vterque ſtirpe clariſſima, & in diuitias editus; vterque ſummo ingenio; in Scripturis vterque verſatus. Diuitias abdicant, fiunt Monachi, Sacerdotes (dira vobis iam nomina) in noſtra fide viuunt, pro noſtra fide ſcribunt. Quòd ad mores, eximia illis integritas; Scripta, Deum auſpicem ſpirant; ſublimia, pia, cæleſtia. Nec abfuere miracula; niſi vultis omnibus qui tunc vixere authoribus fidem abeſſe. Denique & Thomæ doctrinam ipſi miramini, quem vir nuper in literis ſummus Iac. Cuiacius, primum ab Ariſtotele Philoſophum meritò dixit. Et Bernardus, ipſius Caluini iudicio ſanctus ac doctus fuit.

Cæcos

Cæcos illos fuiſſe exiſtimes, vt errores non viderent quos in nobis iam carpitis: cœcos, inquam, tantæ eruditionis, tanti acuminis viros? An timidos, & qui pro Dei cultu, pro ſua ſalute, pro communi fidelium bono, non auderent errores Eccleſiæ indicare, vitam quoque, ſi neceſſe, proijcere, quam perpetua abdicatione voluptatum in longam veluti mortem ſponte mutauerant?

Ne in his ſolis morer, quid vterque Anſelmus? quid Hugo? quid ſubtilis ille Scotus? quid innumeri alij, quos omnes nec referre memoriæ noſtræ eſt, nec capere tantilli voluminis? Non pij fuere? non docti? non ingentis ingenij? Atqui noſtræ Eccleſiæ erant alumni, & omnia quæ in nobis damnatis laudauerunt. Liber exiguus, ſed inſignis eſt, & ſua mole, ſi ſpiritũ ſpectes, maior, ſeu Gerſonis ſit, ſeu Thomę de Kempis, ſeu Abbatis à Gerſen: Titulus eſt, *De Imitatione Chriſti*. Audacter aſſeuerem, tã coniunctam Deo mentem, tam prudenti pietate perfuſam, ac propemodum in abdita Dei raptam, non potuiſſe placitos illi cultus, & ſynceræ fidei regulam ignorare. Fuit autem

ille

ille ex nostris, vt constat; & si erramus, nobiscum errauit. Iam Franciscus de Assisio, iam alter ille de Paula. Vitam specta, mores, miracula; Angelos dixeris carne contectos. Vterque Sanctissimæ familiæ Pater; vterque penè supra hominum vires, hominum opera deseruit, Deo adhæsit. Etiam miracula quæ per eos diuina vis edidit, tantis authoribus, tot indicijs, testibusq; firmata, non aliter damnauere vestri Ministri, quàm infidelis supercilij cõtumaci audacia. Philippus Cominæus quanti iudicij vir fuerit, imperitus qui nesciat. Atqui laudibus quibus addi nil possit, S. Franciscum de Paula adhuc viuum exornauit. *Denique*, inquit, *neminem vnquam vidi, ex cuius magis ore videretur Spiritus sanctus loqui.*

Vnicum addam; Sanctissimæ memoriæ Carolum Borromæum, Is enim adhuc spirantium hominum testimonijs clarus, & certissimis miraculis apud probos insignis est. Nemo sat dixerit, quanta viro integritas; quàm crebris, verisq; ieiunijs, cilicio, cæterisque ad domandam carnem supplicijs, sibi seuerus; quàm assiduis

duis precibus sępe noctem diei coniunxerit. quàm nõ modò frugali, sed inopi mensa contentus; quàm profusi animi in egenos; quantus pudicitiæ assertor, scandali hostis; commissum sibi gregem quàm vigili labore curauerit. Omitto B. Xauerium, è Societate Iesu, Indiarum Apostolum; omitto huius æui innumeros, quorum odor coram Deo & hominibus fragrantissimus spirat. *Nunquid colligunt de spinis vuas, aut de tribulis ficus?* Hi sunt palmites qui manent in Patre, qui ab eo purgati fructum afferunt in patientia, alius tricesimum, alius centesimum. Fatebor Christianam simplicitatem mentis meæ. Amo ego in illorum Ecclesia esse. Ex scriptis eorum, scio ipsos capacissimæ indolis extitisse, & maximè cultos; ex moribus, integerrimos video; plerosque eorum testatissimis miraculis Deo probatos. Apage post hæc profanam sapiendi, disceptandi, iudicandi, ambitionem. Eorum vestigia mihi placent. Non possunt tales viri, & quibus Deus noster tantopere charus fuit, non etiam Deo chari fuisse. Non peribit qui eorum fidem sequetur; qui eorũ operibus æmu-

lus

lus erit. Et illo quoque nomine mihi inuiſa, Sectarie,& deteſtabilis veſtra Eccleſia,quòd hos videam non modò in noſtra floruiſſe,ſed & *perfecto odio* incenſos,hāc veſtram haud ſecus, ac diaboli domiciliū ſcriptis, opera, voce damnaſſe.

Vides ergo non modò, Sectarie, tuam Eccleſiam non eſſe Eccleſiam, ſed & noſtrā eſſe illam quæ à Chriſto inter tot turbines non defecit; in qua Patres antiqui vixerunt, quæ omnibus ſeculis multorum ſanctitate *benè Deo complacuit*: quæ iam ab Apoſtolica ętate accepit illam fidem,ac tenuit, quā in ea nunc demū vos carpitis. Sentis denique, ſi cor tibi, aut animus,vel in ea viuendum, vel extra hanc pereundum.






CAP.



CAP. IX.

Cur Sectarijs in Pontificem odium. Conuenientissimum fuisse, vt toti Ecclesiæ summus Pastor relinqueretur. Eiusmodi fuisse S. Petrum probatur ex Scripturis. De nominibus, Petrus, & Petra.



ECCLESIAM autem istam, delicias Christi, cælum Angelico casu orbum nouis colonijs implentem, noluit Deus instar destituti nauigij carere rectore. Curam Petro demandauit, & per hoc successoribus Petri, quos à Petro Romana Ecclesia habet Episcopos. Sed hæreditarium odium hæreticis inest in illum Christianorum Patrem. Nihil furibus inuisius magistratu; maritos mœchi non ferunt; adulteros nu-

mos

mos index lapis offendit. Quid mirum, cùm hæresis omnis in Ecclesiam pugnet, si earum nulla possit cum Ecclesiæ capite conuenire? Necesse hæreticis, aut fateri iusto se iudicio de Christianis expunctos, aut in ipsum Iudicem erigi qui expunxit. Sciunt, stante illo se stare non posse; se hæreticos ijs fore, quibus Pontifex ille erit.

Sed maximè istius seculi hæresis in hanc Apostolicam Sedem inuecta est. Putes satanam imperasse, quod in Pharsalica acie Cæsar, *Miles faciem feri:* adeò acerbum intulere Capiti nostro bellum. Nunc itaque per tantas iniurias grassantibus est obstandum. Pugnandum in illos, aut verius, pro ipsis est. Demulcenda asperitas, quam in hac fidei nostræ parte sibi finxerunt. Velint modò non inimicitijs suis credere, non obruere odio iudicium suum. Rationi se permittant, Scripturisque moderantibus rationi: Patres denique de Scripturarum sensu arbitros esse sinant, qui magnis insignes ingenijs, Deo & Scripturis addicti, constituerunt priscis temporibus illam ipsam Ecclesiam, suo consensu, numero, & do-

 ctrina,

ctrina, quam inuiolatam fuisse hęretici ipsi non negant.

Fuit igitur diuinæ prudentiæ, dare Ecclesiæ Caput in terris; ne semper aut opus Christo esset ad omnem controuersiam de cælo loquente, aut pertinacibus locus fieret diuertendi ad proprios sensus. (proprios sensus dico, quos quique ex Scripturis proprio iudicio, propria authoritate eliciunt.) Nam non satis, Spiritum sanctum adesse Ecclesiæ; nisi sit aliquis qui *viua voce* nos doceat, quæ sit illa Ecclesia quam Spiritus sanctus regit, inter tot sectas quæ singulæ sibi vnis adesse illum Spiritum gloriantur. Habet quidem in cælis Ecclesia Principem, Dominum, Caput, Christum, qui eam *acquisiuit sanguine suo*, (Act.xx.) Sed modò sunt dies, quibus nos ieiunamus, *quia ablatus est sponsus à nobis*. Scripturas, & Traditiones reliquit, quibus vtique regeremur: Sed in Scripturis, & Traditionibus, comminisci homines multa possunt, multa quærere, de multis ambigere. Nec iam ipse eo modò nobiscum est, vt in dubijs ab eius ore pendentes, dicamus, *edisſere nobis parabolam istam*. Reliquit

ergo

ergo Vicarium, cuius cor atque fidem in sua manu teneret; *constituit fidelem seruum, & prudentem super familiam suam, vt det illis cibum in tempore*. Ita sumus Christiani, vt simus & homines. Non habemus sanctiorem Apostolis Clerum. *Facta est autem & contentio inter eos, quis eorum videretur esse maior.* An putas, non omnia insolentia ambitionis in Ecclesia transuersim rapienda, nisi (vt ait Hieronymus, Lib. 1. in Iouin.) vnus electus esset, *vt capite constituto schismatis tollatur occasio?* Vbi ordo, deuenitur ad aliquem primum; vbi non ordo, ibi confusio. Disceptent ex Episcopis aliqui, ex Metropolitanis, ex Patriarchis; quæ in Ecclesia turbæ, nisi alicuius potestate & iudicio componantur?

At, inquies, Concilij generalis iudicio stabunt. Quasi ad omnia momenta vt lites accendi, ita Concilia cogi possint, & ad iurgantium libidinem toto Orbe Christiano Præsules de suis sedibus exciendi: Cùm etiã nec de fide vtique semper Metropolitani, aut Patriarchæ certent, sed de leuioribus causis, quæ ad odium quidem inter illos idoneæ, tamen aduocan-

do Concilio leues ſint, aut indignæ. Sed num præterea credis, aut Concilium perpetuò poſſe conſiſtere, aut nunquam niſi Concilij tempore orituras de fide, vel moribus turbas? Quem porrò in dubijs illis, quæ extra Concilij tempus erunt, Epiſcopi conſulant? in cuius ſententiam Eccleſiæ membra conſentiant? Sibi ipſis credant Epiſcopi? ex ſuo ſenſu Scripturas exponant? Atqui vel fatendum eſt Epiſcopos eiuſmodi non poſſe errare; vel in eiuſmodi controuerſijs poſſe etiam errare Chriſtianos, qui ipſis adhæſerint. Quòd Epiſcopi non poſſint errare, experientiæ veritate refellitur. Hæreſiarchæ aliquot, plurimiq; Hæretici, fuere Epiſcopi. Euzoium Antiochenum memorem, Lucium Alexandrinum, Auxentium Mediolanenſem? quid Neſtorium? quid Conciliabula aliquot ex hæreticis Epiſcopis tota? Reſtat, vt cum Epiſcopis, id eſt Paſtoribus, errare poſſint greges, ſi extra Concilij tempus aliquid dubium in fidei rebus inciderit; & diuiſa à ſeipſa Eccleſia, ex variorum Epiſcoporum ſenſu, varia quoque huc illuc pronunciet. *Omne regnum in ſe diuiſum deſola-*

solabitur. Cum tanto fundamentorum vitio non staret Ecclesia. Et ne in hæc mala incideremus, electus est Pastor à Domino, ad quem ascenderemus, quandocunque difficile, & ambiguum apud nos iudicium esset.

Accedit nec Conciliorum quoque decreta, nisi illo vindice, satis in tuto esse. Quidni enim vt Scripturarum sensui, ita & Conciliorum possit imponi? Sciebat Hieronymus non communicandum hæreticis, sciebat nullo modo violandam Nicæni Concilij fidem. Sed quanquam immensæ doctrinæ vir, metuebat in discernendis hæreticis, & doctrina Nicæna, exerrare. quia multi se fingebant Concilij sensui adhærere; nec apertè, sed per circuitum, peccabant. Quid ille inter hos fluctus? Sciscitatur Pontificis sententiam, *qui tunc praerat loco quem elegit Dominus*; scribit ad Damasum Papam; orat vt significet nominatim, quibus Episcopis in Oriente communicandũ sit, à quibus fugiendum. Ita ille, ita cæteri Patres, se demum in Ecclesia Christi esse putarunt, si essent in Ecclesia quam Petri successores gubernarent.

Longum esset enumerare incommoda Christianam rem pressura, nisi à Pontifice, tanquam spiritu, tantum corpus regeretur. Continuo miraculo opus sit, vt charitatis & fidei nexu iungamur, ni in Præsulē omnes respiciant, qui vnus vnius gregis Pastor, totum gregem contineat. Et hoc vinculo destitutæ hęreses, vt per quandam ambitiosæ libertatis speciem creuerunt, ita mox in multiplices sensus effusæ, & iam se non ferentes, ceciderunt, & cadent. Sic Eunomius Arianus secessit ab Ario, & Eunomianos instituit. & hinc vtrique sectæ (vt ait Sozomenus) pernicies. Fac ministros hęreticorum hoc seculo, in diuersis prouincijs, vt sępe fit, diffidere: quis schisma componet? cuius authoritati cedent? Imò, cur non hodie inter se consentiunt? cur tot in illis certamina? Finge Lutheranorum, Caluinistarum, Anabaptistarum, Sectarumq; aliarum conuenire Concilium. Quis speret inde concordiam? quis Spiritus sancti pacem? Fungus sit, & in huius ipsius seculi rebus expers, in quo toties inter illos frustra tentata pax, scriptis, sequestris, colloquijs. Scripturas tamen laudant, loquun-

loquuntur Spiritum Sanctum; sed quia in commune nemini credunt, cuius sit conuocare Concilium, illiq; præsidere, vt defectæ vinculis rates, se temerè allidunt; in diuersa dissipantur. Inde feruent in dies noua sectarum examina, detrahuntq, illæ parentibus, mox per suam progeniem periturę. Lutherani molles, ac rigidi, Caluinistæ Protestantes, Caluinistæ Puritani, Brunistæ, Zuingliani, Trinitarij, Zuincfeldiani. *trecentis versibus tot impuritias traloqui nemo potest*. Vt solutę igitur fasces latiori quidem igne, sed mox defecturo luxuriant; colligatæ, diutius & validius inardescunt. Ita hæreseon licentia post populatas subito incendio terras, vix vnum aut alterum seculum ferre potest. Ecclesia intra castra, & sub duce, castigata, ita lucet, ne tamen consumatur; ita sacro fermento tumescit, ne rumpatur.

Vtilitatis itaque pręcipuæ fuit, vt constitueretur Ecclesię visibilis Rector. Quibus autem argumentis probamus constitutum? Prima nobis auctoritas ex Scripturis, quę in recensendis Apostolis non tantùm primo loco Petrum ponunt, sed

ſignatè *primum* vocant. Matth. x.
Duodecim autem Apoſtolorum nomina ſunt hæc: Primus, Simon qui dicitur Petrus. Cur primus? an à vocatione? Ne hoc putes. Andræas eo modo primus fuit. Nam & prior Chriſtum ſequutus eſt. (Ioan. 1.) & Petro deinde nunciauit, *inuenimus Meſſiam, & adduxit eum ad Ieſum*. Cur igitur *primus?* niſi quia altiorem ceteris potentiam nactus? *primus*, inquam, dignitate, poteſtate. Et is Apoſtolorũ ordo non ab hominibus conſtitutus, non ab Euangeliſta, ſed à Chriſto. Ita in hunc Matthæi locum Hieronymus: *Ordinem Apoſtolorum, & meritum vniuſcuiuſque, illius fuit diſtribuere, qui cordis arcana rimatur*. Idem Lib. 1. aduerſus Iouin. *Propterea inter duodecim vnus eligitur, vt capite conſtituto ſchiſmatis tollatur occaſio*. Ergo illa electio, ille Primatus, non honoris tantùm erat, vt primus ſederet, primus nominaretur; ſed etiam poteſtatis, vt ſchiſma tolleretur. Neque enim ſchiſma ſublatum ſit, ſi ſciãt quo ordine debeant ſedere Epiſcopi, ſed ſi ſciant, ex cuius debeant authoritate pendere. Et hoc vtinam ſatis expendat
Noua-

Nouatorum curiosa temeritas.

Sequitur apud Matthæum locus, omni exceptione maior (Cap. XVI.) *Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersus eã. Et tibi dabo claues regni cælorum. Et quodcumque ligaueris super terram, erit ligatum & in cælis: & quodcunque solueris super terram, erit solutum & in cælis.* En fundatam super Petrum Ecclesiam. & tu ausis, Sectarie, ab eo fundamento recedere? At, inquies, *fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus Iesus.* 1. Corinth. III. Imò & Apostolum audi, de alio fundamento loquentem, Ephes. II. *Estis ciues Sanctorum, & domestici Dei, superædificati super fundamentum Apostolorum, & Prophetarum.* Vides diuersa ratione diuersa Ecclesiæ fundamenta constitui. Fundamentum ergo est Christus, non ab alio positum, sed à seipso, verum, summum, & sine quo non modò non est Ecclesia, sed esse non potuit. Sed ipse qui ita est fundamentum, vt sit etiam Architectus, fundamenta tantę Aedis veluti secun-

ſecundaria ſtabiliuit, Prophetas, Apoſtolos, & nominatim Petrum; cui ſi nihil amplius quam cæteris conceſſiſſet Apoſtolis, quàm fruſtrà hæc nominis mutatio, Simonis in Petrum! quàm fruſtra hic promiſſæ ſpeciatim illi claues, & poteſtas vinculorum? Dic quod cenſes, Sectarie, ſed confeſſione ingenua, cur hæc ad Petrum, niſi quod ipſe excellentiori ratione quàm cæteri in fundamentum ſtatuendus Eccleſiæ, cęterorum (vt antea diximus) princeps; & *Petra* appellatus, vt ſcires degeneraturos nonnunquã Epiſcopos, qui cæteris Apoſtolis ſucceſſiſſent, illisq́; commiſſas Eccleſias. At nec Petri ſucceſſores, cùm ſint *Petræ*, nec Eccleſiam *fundatam* ſupra illos, hęreſeon aut perfidię vento caſuram.

Sed, inquies, Petrus, & Petra, generibus differunt, neque latinè Petrus ſignificat Petram; cur igitur Petrum & Petrã, pro eodem acceperis? Linguæ Hebraicæ atque Syriacæ idioma, ſibi difficultatem hanc imputat; apud quas, Cephas, quo nomine Chriſtus Petrum appellat, petram quoque ſignificat. Non ſunt ſcilicet duæ voces, quarum altera hominis

nomi-

nomini conueniat, altera ſaxo, ſeu Petræ. Sed veluti in Latinis, *Lapis* maſculini eſt generis, ita Cephas eiuſmodi generis apud Syros eſt, vt cùm propriè Petram ſignificet, tamen & poſſit, appellationi alicuius hominis conuenire. Diſce rem ex linguarum ſcientiſſimo Hieronymo, in Epiſtolam ad Galat. Cap. 11. *In euangelio, & in alijs Pauli epiſtolis, & in hac quoque ipſa, modò Cephas, modò Petrus ſcribitur. Non quòd aliud ſignificet Petrus, aliud Cephas, ſed quòd quam nos Latinè & Græcè Petram vocemus, hanc Hebræi & Syri propter linguæ inter ſe viciniam Cephan nuncupent.*

Eant nunc nouitij Sectariorum Grammatici, eant inanes Magiſtelli: & ſe melius ex Syriaca lingua Chriſti verba capere iactent, quàm ille Hieronymus, quocum nemo Patrum æqualium, aut qui inde vixerunt, de Syri Hebraicivè ſermonis peritia certauit. In contextu autem Græco ideò terminatio variatur, quòd Πέτρος, & Πέτρα, eiuſdem ſignificationis in græcis ſit. Πέτρος igitur, virilis generis nomen datur Apoſtolo; & Eccleſia ſuper Πέτραν dicitur ædificanda, vt Amphibo-

logia

logia declinetur: nec simpliciter super hominem illum, qui Πέτρος dicebatur; sed super illum tanquam Πέτραν, siue ea ratione qua erat constitutus à Domino Petra, & fundamentum Ecclesiæ, sciretur statuenda Ecclesia. Et sequutus Græca verba, Latinus interpres, reddidit, *Tu es Petrus, & super hanc Petram, &c.* Satis præterea scias, ex articulo, *hanc*, iam de eo Cepha, seu saxo, seu homine, loquutum Dominum esse; *Super hanc Petram ædificabo, &c.* nec de vllo loquutum illic inuenias, nisi de Petro, *Tu es Petrus, & super hanc Petram, &c.*

At, inquies, Petrus vir erat, cur illi tributus non virilis articulus *hanc petram?* Expedita res. Fuere Romani qui Faculæ dicerentur; quis autem reprehenderit ita loquentem. O optime Facula, tu es Facula, & illa Facula toti reipublicæ allucet. Cuidam cognomen Bestia fuit; nec reprehendas dicentem tu es Bestia, & te Bestiam prębuisti. Fuere Furij dicti. Num ab vsu loquendi sit, tu es Furius, & per tuas furias oppugnatur respublica? Denique siue aliquod nomen & homini, & alteri rei quæ virilis generis non sit, omnino

nino aptatum eſt, vt quæ modò poſuimus, Facula, Beſtia, & Hebraicè Cephas; ſiue deflexione aliqua vtrique conueniet, vt Furia, Furius, Cicera, Cicero, Petrus, Petra, &c. nihil mirum, ſi cùm innui placet, hominem aliquid de virtute, efficacia, aut natura habere rei illius, cum qua nomine ipſo vel in totum, vel ex parte conuenit, ſæpe genus, & articulus ille ponatur, non qui homini, ſed qui rei conſentit, cui homo confertur; tanquam oſtendi placeat, iam hominem in illius rei naturam quodammodo tranſijſſe. Et hoc vulgarius in vſu loquendi, quàm vt anxiè doceri debeat; poſſitve à perito, & qui frontem habeat, reprehendi.



CAP.



CAP. X.

Sententia Patrum, de Petra supra quam est ædificata Ecclesia; & omnino de potestate Summi Pontificis.

NON sum ego, Sectarij; sed Patres antiqui, qui per hanc Petram, Petrum ipsum intelligunt; quorum varia loca, in commodum, si vti velis, tuum, eximiorum aliquot hominum diligentia collegit. Plures enim sunt, in quibus nec seculum carpas, nec aut scientiam, aut pietatem desideres. Ex omnibus, ne actum agamus, tres non amplius Græcos, totidem Latinos satis erit exscribere. Nam qui illos contempserit, nec pluribus credet. Gregorius Nazianzenus in Orat. De moderat. seru.

in di-

in diſput. *Petrus petra vocatur, atque Eccleſiæ fundamenta fidei ſuæ credita habet.* Athanaſius in Epiſt. ad Felicem. *Tu es Petrus, & ſuper fundamentum tuum Eccleſiæ columnæ, id eſt Epiſcopi, ſunt confirmatæ.* Chryſoſtomus, Homil. LV. in Matth. *Dominus ait, Tu es Petrus, & ego ſuper te ædificabo Eccleſiam meã.* Cyprianus, Epiſt. ad Iubaianũ. *Eccleſia, quæ vna eſt, ſuper vnum, qui claues eius accepit, voce Domini fundata eſt.* Hieronymus ad Damaſum Epiſt. LVII. *Ego nullum primum niſi Chriſtum ſequens, beatitudini tuæ, id eſt Cathedræ Petri cõmunione conſocior: ſuper illam Petram ædificatam Eccleſiam ſcio. Quicunque extra hanc domum agnum comederit, profanus eſt.* Auguſtinus, in Pſalm. contra partem Donati. *Numerate Sacerdotes vel ab ipſa Petri ſede: ipſa eſt Petra quam non vincunt ſuperbæ inferorum portæ.* At hic denique audaciam ſumitis; nec in noſtris Auguſtinum vultis haberi: Illum enim abdicata noſtra ſententia in veſtram iuiſſe; *per petram* intellexiſſe Chriſtum: Et qui Patrum in vos conſenſum negligitis, vbi ex ipſis aliquid ad veſtros

vestros errores videtur auerti: toti in acclamando estis. Audiendus igitur Augustinus eo loco quem nobis obijcitis. Is est Lib. I. Retract. Cap. XXI. *In hoc libro dixi in quodam loco de Apostolo Petro, quòd in illo tanquam in Petra fundata sit Ecclesia: qui sensus etiam cantatur ore multorum in versibus Beatissimi Ambrosij, vbi de gallo gallinaceo ait, Hoc ipsa Petra Ecclesiæ Canente, culpam diluit. Sed scio me postea sæpissimè sic exposuisse quod à Domino dictum est, Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam. vt super hunc intelligeretur, quem confessus est Petrus, dicens, Tu es Christus filius Dei viui: ac si Petrus ab hac Petra appellatus personam Ecclesiæ figuraret, quæ super hanc petram ædificatur, & accepit claues regni cælorum. Non enim dictum est illi, Tu es Petra, sed, tu es Petrus. Petra autem erat Christus, quem confessus Simon, sicut eum tota Ecclesia confitetur, dictus est Petrus. Harum autem duarum sententiarum, quæ sit probabilior eligat Lector.*

Hæc vos ab Augustino, Sectarij: sed malo omine hæreseos vestræ. Istinc enim

eui-

euidentiſſima ratione conficitur, Auguſtinum de Petri poteſtate ſenſiſſe eadem quæ nos modò. Primùm enim ſententiam noſtram firmat auctoritate S. Ambroſij, quem vbique ſuſpicit vt ſummè Orthodoxum, à quo ipſe baptiſmatis donum, & quid in fide rectum eſſet, acceperat. Ita deinde exſcribit quid ſentiat, vt videas illi neutram diſplicere ſententiam, id eſt, neque illam quam cum Ambroſio antè laudauerat, neque illam quam recèns exponit; Definit deinde in hæc verba: *Harum autem duarum ſententiarum quæ ſit probabilior eligat Lector*. Dic tu porrò, Sectarie, quæ ſit illa ſententia quam in arbitrio Lectoris conſtituit. Ea ne eſt, vtrum Petrus, & ipſius ſucceſſores, ſint ita Eccleſiæ Principes, Capita, Chriſti Vicarij, vt Sedes eorum (velut antea dixerat) poſſit dici illa *Petra quam non vincunt ſuperbæ inferorum portæ?* An verò, vtrum poteſtas illorum, his verbis ſignificetur, & de illis dicatur ad literam, *ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam?* Nam alterutrum eſſe neceſſe eſt, quod Auguſtinus iudicio Lectoris permiſerit, tanquam rem quæ ſalua

fide Catholica, aut negari poſſit, aut aſſeri. Si primum; nempe vtrum & Petrus & ipſius Succeſſores ſint eiuſmodi in Eccleſia poteſtatis, vt eorum Sedes dici poſſit hæc Petra ſuper quam Eccleſia fundamentum accepit; facis omnino Auguſtinum hereticum, imò abſurdum, qui tanti ponderis dogma, & omnino Eccleſiaſticæ diſpenſationis compendium, tanquam exigui momenti rem, author ſit negari, aſſerivè poſſe impunè, ex legentis libidine. Quis hoc Auguſtino affinxerit, prudentiæ tantæ viro? Num hoc vllus ex noſtris dixerit, Sectarie, num vllus ex veſtris? An nos credimus, an vos creditis, vt rem aut ἀδιάφορον, aut incertam, poſſe ſine diſcrimine fidei, aut dici, aut negari, Papam eſſe fundamentum Eccleſiæ? Sin ſecundum; id eſt, ſi putas reliquiſſe Auguſtinum in legentis arbitrio, vtrum hæ prerogatiuæ Pontificis ritè ex illa ſententia deducantur, *ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam*; neceſſariò conſequetur, credidiſſe haud dubiè Auguſtinum, has Petro prærogatiuas bono iure competere; & ſic illum in Eccleſia tenere Principatum, vt ſine

errore

errore credi possit Petra illa super quam Ecclesia est fundata. Nisi enim ita sensisset de authoritate Pontificis, nisi ex Scripturis alijs, & Ecclesiæ fide, sciuisset hoc astrui, iamq; reuera in Ecclesiæ vsu hoc regimen esse, nunquam ex loco quẽ dubiæ interpretationis existimat, fas diceret tantam in Ecclesiæ Catholicæ disciplina, ac fide, nouitatem, tantam vnius in omnes potestatem, inuehere.

Liberam itaque ait esse Lectoris sententiam, non de Petri potestate, aut Sacerdotum qui ei successerunt, sed de interpretatione loci istius. Ac vt scias quàm sit alibi multus pro potestate Romani Pontificis, audi ipsum in Epist. CLXII. *In Romana Ecclesia semper Apostolicæ Cathedræ viguit principatus.* Et Epist. XCII. ad Innocentium Papam: *Quia te Dominus gratiæ suæ præcipuo munere in Sede Apostolica collocauit, talemq; nostris temporibus præstitit, vt nobis potius ad culpam negligentiæ valeat, si apud tuam venerationem, quæ pro Ecclesia suggerenda sunt, tacuerimus, quàm ea tu possis vel fastidiosè, vel negligenter accipere; magnis periculis infirmorum membrorum*

 Chri-

Christi, pastoralem diligentiam, quæsumus, adhibere digneris. O quàm ista à vocibus vestris diuersa, Sectarij! Quid parcitis? quid vestris coloribus reluctantem aspergitis? Aliam rationem inite. Audiat à vobis anathema Papista Augustinus. Supercilio illo grandi, quo de Ecclesia sententiam fertis, à vobis damnari is poterit; vlla arte, vel fraude conciliari non poterit.

Promissum hic igitur Petro, super illum ædificandam Ecclesiam, promissæ cæli claues, promissa soluendi, ligandiq; potestas est. Promissa hæc, inquam, sed post resurrectionem Domini denique data. Vnde non mirum, si adhuc imbecillis, si ignorantiæ obnoxius, si interdum à Christo reprehensus, imò, vt apud Matthæum est, penè statim à tantæ pollicitationis honore, hæc verba audiuerit, *Vade retro me Satana*. Ascribam in hanc rem Hieronymi verba, vt & sensum tanti Patris, de Petra, de Petri erroribus, de Pontificis potestate intelligas. Ita igitur in XVI. Cap. Matth. *Prudens Lector*, inquit, *inquirat, quomodo post tantam Beatitudinem, Beatus es Simon Bariona. Et:*

Tu

Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam; & portæ inferi non præualebunt aduersus eam. Et; Tibi dabo claues regni cælorum. & quod ligaueris vel solueris super terram, erit ligatum vel solutum in cælo: nunc audiat: Vade retro me Satana; scandalum mihi es. Aut quæ sit tam repentina conuersio, vt post tanta præmia Satanas appelletur. Sed si consideret qui hoc quærit; Petro illam benedictionem, & beatitudinem, ac potestatem, & ædificationem super eum Ecclesiæ, in futuro promissam, non in præsenti datam intelliget. Aedificabo, inquit, super te Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam, & dabo tibi claues regni cœlorum: omnia de futuro. Quæ si statim dedisset ei, nunquam in eo prauæ confessionis error inuenisset locum.

Promissa hìc igitur Petro potestas, & concessa, Ioan. vlt. trina illa iussione, iam à mortuis excitati Domini nostri, *Pasce agnos meos, Pasce ouiculas meas, Pasce oues meas.* Vnde Chrysostomus in eum locum, dicit: Dominum, *Petro demandasse Orbis terrarum curam.* Et Ambrosius

in Cap. Lucæ XXIV. dicit, quòd tertia interrogatione Christi. *Petre amas me. Iam non agnos vt primò, quodam lacte pascendos, nec ouiculas, vt secundò, sed oues pascere iubetur, perfectiores vt perfectior gubernaret.* Idem tamen Ambrosius claues cæli Petro vult datas, etiam ante Christi passionem. *Denique idem* Petrus (inquit in idem Cap.) *sine metu aduenit ad Christi sepulchrum, & constanter qui posterior venerat primus ingreditur, quasi qui claues regni vt alijs aperiret acceperat.* Vt scias priscos Patres, quod ad potestatem Petri, interdum de tempore, nunquam de re dubitasse.

Non patitur libelli angustia omnia Scripturæ loca scrutari, quibus hæc Pontificum potestas asseritur. Satis hæc insigniora notasse; nec exposuisse ex meo, aut recentiorum hominum sensu, sed ex penetralibus vetustatis. Possim paginas latè implere plurimorum Patrum verbis, quæ etiam nolentibus vobis ostendunt, quo loco Christiani Romanos Põtifices à Christo in hanc ætatem habuerint. Sed & hoc ante me summi viri fecerunt; & vereor ne ægrotantibus animis optimi cibi fa-

bi fastidium creem. Neque ergo hic omnia; sed nec nulla proferenda; Ne videar oblitus Apostoli, qui iubet opportunè, importunè, moneri, increpari, peccatores.

Irenæus Lugdunensis Episcopus, secundo post Christum seculo vixit. Non suspectus, opinor vobis erit. Illum ergo audite, non iudicantium supercilio (nam qui estis vos?) sed humilitate discentium. Is lib. III. Cap. III. Romanam Ecclesiam vocat, *maximam, & antiquissimam, & omnibus cognitam à gloriosissimis Apostolis Petro & Paulo fundatam Ecclesiã*. Addit: *Ad hanc enim Ecclesiam propter potentiorem principalitatem, necesse est omnem conuenire Ecclesiam, hoc est, eos omnes qui sunt vndique fideles; in qua semper ab his qui sunt vndique conseruata est ea quæ ab Apostolis est traditio*. Audi verò, Sectarie; & vel hæresi tuæ, vel Irenæi seculo, id est ab Apostolis primo, abroga fidem. *Necesse est*, inquit, *conuenire omnem Ecclesiam ad Romanam*. Cur necesse? *Propter potentiorem principalitatem*. Dic verò, quæ principalitas illa? An quòd Roma tunc caput Impe-

rij? Ita enim detorquetis aliquot Conciliorum verba; vultisq́; ideò primam Ecclesiam Romæ fuisse, quia prima Vrbs, Roma. Atqui hoc neutiquam stabit cum Irenæi sententia. Nam Romanæ Ecclesiæ *principalitas* illa (vt vocat) vel erat ab homine, vel à Deo. Si ab homine, vel erat à iure ciuili, seu constitutionibus Imperatorum, vel à iure Canonico, decretisq́; vniuersalis Ecclesiæ. Non fuisse à iure ciuili liquidò constat; non, inquam, ex præcepto Imperatorum eo tempore factum, vt Romana Ecclesia teneret Principem in Christianis locum. Neque tunc enim de ordinanda Ecclesia, sed de euertenda certabant. tempus erat supplicijs Martyrum sæuum; Christianis coire in cœtum pro crimine erat; neque actum vt Romam frequentes conuenirent, sed vt de Imperij finibus, de vita deijcerentur. Non igitur ea ætate *necesse* Christianis necessitate ciuili, id est, ex legibus Imperatorum, conuenire ad Romanam Ecclesiam. Num verò *principalitatem* tunc nacta Romana Ecclesia, ex Ecclesiastica aliqua lege? Proferte hanc legem, proferte decretum: Magnum enim ac solemne

ne illud esse oportuit, quod omnes Christianos teneret, & *necessitatem* cæteris Ecclesijs faceret coëundi ad Romanam, vt Principem ac Magistram. *Quod omnes tãgit, debet ab omnibus approbari*. Atqui ab Apostolis ad illam ætatem, nondum Ecclesia in Concilium generale coiuerat, vbi hæc sanctio ferri posset. neque extat eiusmodi sanctionis vestigium. Quid ergo censendum? Si non humano iure, id est, nec Ecclesiastico, nec Imperiali, hæc *principalitas* Romanæ Ecclesiæ; an poterit non esse diuino?

Memoremne deinde, delatas ad Romanum Pontificem lites, tanquam legitimum Iudicem, ab Orientis, Occidentisq; Episcopis? quoties ipse de Episcopis, de Patriarchis iudicarit? *Vrsacius, & Valens*, (inquit Epiphanius Hęres. LXVIII.) *pœnitentiam agentes, vna cum libellis profecti sunt ad B. Iulium Romanæ Vrbis Episcopum, pro ratione reddenda de suo errore ac delicto*. Atqui erant ipsi Episcopi, erant & magno terrarum diuortio ab Vrbe discreti. Cur ad Iulium ergo, & quidem *pro ratione reddenda de suo errore*, nisi quia Iulius Episcoporum Episcopus?

pus? Nec dixeris corrupta tunc tempora. Sedit enim ille Iulius Papa, Ann. Christi CCC. XXXV.

Etiam interrogemus Chryſoſtomum. Nam cui in ea re fidem habeas, ſi non habes Chryſoſtomo? Eius ſcripta laudatis, excuditis. Erat in Oriente, ne dicas Occidentis ſolam curam Romano Pontifici datam. Erat Conſtantinopolitanus Patriarcha; quæ vrbs Principis ſedes facta, etiam Præſuli primum honorem detuliſſet, ſi illa dignitas humanas viciſſitudines ſequeretur. Nihilominus cùm in eum plures ab Oriente Epiſcopi conueniſſent, coáctoq; Concilio iuſſiſſent abire de ſede, leuat oculos ad cælum, & Romã, *vnde veniat auxilium ei*. Scribit ad Innocentium Papam, orat vt irrita eſſe decernat quæ in eum acta erant. At quàm ridiculè, niſi in Eccleſia inualuiſſet, vt ſummus omnium Eccleſiarum Iudex crederetur Romanus Epiſcopus: & ex eius ſententia componerentur Orientis, Occidentiſq; negotia? Verba ſunt Chryſoſtomi, in Epiſt. 1. ad Innocen. Pap. *Obſecro vt ſcribas, quòd hæc tam iniquè facta non habeant robur; illi autem qui iniquè*

ege-

egerunt pœnæ Ecclesiasticarum legum subiaceant. Qui illi autem *qui iniquè* egerunt? Theophilus Alexandrinus Episcopus; multiq; à Thracia, Asia, & reliquo Oriente Episcopi. Hos omnes sanctus Pater Chrysostomus Ecclesiasticis pœnis per Romanum Episcopum posse plecti significat; neque anxiè illud docet, sed vt rem certam affert, vt assuetum communis iuris remedium implorat. Neque te moueat tanta authoritas? En doctissimum Patrem, in re grauissima, in Orientis negocio, potestatem Romani Pontificis inuocantem, illiq; ius in Episcopos tribuentem, vt quæcunque statuerint, ipse vel rata, vel irrita esse decernat.

Nec singuli modò Patres; sed & simul Orientis Episcopi (nam de Occidente nil dico, cuius causas ad Romanum iudicium perpetuo vsu delatas, nec præcipui Sectarij negant) hanc in Papa potestatẽ agnoscunt. Vnde & cum Damaso Papa agunt, vt anathema Apollinari Antiocheno, & Timotheo dicat. Extat Damasi ad eos responsio apud Theodoretũ, Lib. v. Eccl. Hist. Cap. x. In qua, præter cætera, ingens authoritatis signum, quòd

filios

filios eos vocet. *Quod vestra charitas*, inquit, *debitam Sedi Apostolicæ reuerentiam tribuit, filij honoratissimi, vobis quoque maximo honori est, &c. Sciatis velim, fratres, Nos Timotheum illum profanum Apollinaris hæretici discipulum, cum impio suo dogmate, iampridem abdicasse: & ob eam causam credimus reliquias eius nihil in posterum momenti habituras, &c. Iam enim semel formulam edidimus, vt qui se Christianum profiteatur illud teneat, quod ab Apostolis traditum est, &c. Itaque quid est cur abdicationem Timothei à me rursus requiratis, qui etiam hìc iudicio Sedis Apostolicæ, Petro quoque Episcopo Alexandriæ præsente abdicatus est, &c. Deus vos, filij honoratissimi, seruet incolumes.* Quæ non hìc summæ potestatis vestigia? Num aliter hodie Paulus, quàm ante tot secula Damasus scribat?

Finiam; sed in bono omine, & maximi Concilij voce. Ephesinum Concilium primum dico, Oecumenicum illud, & ex quatuor ijs vnum, quibus repugnare antiqua lex Angliæ (necdum, saltem nomine, abrogata) capitale esse iussit. Igitur

tur in ſententia in Neſtorium hæreticum, Patriarcham Conſtantinopolitanum, ita Patres Epheſini. *Edocti itaque partim ex literis, commentarijsq; illius* Neſtorij *hic publicè lectis, partim rurſum ex concionibus, quas in hac Epheſiorum Metropoli habuit, partim denique ex teſtibus fide dignis, illum impiè docere ac ſapere; Per ſacros Canones, Sanctiſſimiq; Romanæ Eccleſiæ Epiſcopi Cæleſtini Patris noſtri literas, lacrymis ſuffuſi, & penè inuiti, ad lugubrem hanc ſententiam vrgemur, &c.* Quid liquidius? quid certius? ſacri Canones, & Romani Epiſcopi literæ, tanquam res vnius authoritatis, coniunguntur. Romanum Epiſcopum ſibi Patrem eſſe dicunt omnes Epiſcopi in Oecumenico Concilio, in celeberrimo Concilij actu. Oecumenicum Concilium, inquam, Orthodoxum Concilium, in Oriente conſtitutum, pro Romano Pontifice pugnat, eius literas veneratur, illis obtemperat. Et vos obdurata fronte, Sectarij, mori in peccato veſtro mauultis, quàm peccatum veſtrum mori!

Præter hæc autem intactæ vetuſtatis monimenta, non parum cordato homini erit,

erit, illam ipſam Eccleſiam, quam vnam & Catholicam eſſe, paulò antè probauimus, quæ Francis, Hiſpaniſque, Germanis, & Anglis, baptiſma, fidemq; largita eſt, quæ ad hos noſtros dies illuſtris ſanctitate atque ſcientia ſummorum hominum fuit, Romanum Pontificem ſemper in Patrem, in Paſtorem, in Caput coluiſſe. Illi Bernardo, illi Thomæ, cæteris illis, de quorum ſanctitate, ingenioq; iam egimus, eadem reuerentia in Apoſtolicam Sedem fuit, quæ hac ætate nobis. Eorum veſtigia proſequimur, vt ad eundem exitum noſtra nos fides, charitas, humilitas, ſed maximè gratia Domini, qui ſuperbis & curioſis reſiſtit, clementi manu ducat.





CAP.



CAP. XI.

Hæreticos frustra iactare, maiorem apud se quàm in Ecclesia Catholica honorem Scripturis haberi. Asseritur Sanctorum Librorum authoritas, quos ipsi à Canone reijciunt.



X his quidem lis statui possit, quam mouere Sectarij. Nam si Catholica Ecclesia Christi sponsa est, & vera Ecclesia; Si Papa Christianorum Pastor; frustra est ea expendere quæ rebelles in eam Ecclesiam, in Pastorem illum iactant; Hereticos dixeris, quotquot extra illam sunt; fugitiuos & errones, qui ab eo pastore declinant. Videre tamen iuuat quàm in omnibus peccent. Ecclesiam lacerant. Pontifici maledicunt. Audi etiam quanta fide Scripturas attigerint.

Libri

Libri diuini ſunt à Spiritu Sancto conċepti, illoq; ſuggerente ſelectorum aliquot hominum manu deſcripti. Hos Canonicos appellamus; ſiue quòd ita inſtituendus Chriſtianus, ne illorum Canoni, id eſt, præceptis ac regulis auerſetur: Siue quòd eo Canone, ſeu regula, ac catalogo ſint recepti, quo illos annumerauit, ac concluſit Eccleſia, cuius eſt iudicare quid ſacrum, quid profanum. Scripturas illas omnes, nemo ex Catholicis negat, authore Spiritu ſancto traditas eſſe; vt illis repugnare non poſſit, qui ſtatim Deum hoſtem non habeat. Sanctiones quippe ſunt latæ à Deo. & quem authorem, vindicem quoque habent. Vt lectiſſimi tamen flores, veſpis aut ſerpentibus venenorum materia ſunt. ita ex Dei verbo ſemper inuenerũt Sectarij, quo ſe & alios mactarent. Omitto quæ olim hæretici inde in Eccleſiæ ruinam quæſiuere. Satis cum noſtra ætate depugnare, quæ & ſeipſam hoc enſe confodit; hæreticorum ſuperbia eam ſpeciem pietatis nunc quærente, vt videatur Scripturas propugnare.

Aiunt itaque cætera fruſtra eſſe. Vitæ præſcriptum, normamq; ſalutis, in illis

haberi.

haberi. Solas esse quibus hærere, quas audire debeamus. Tùm in nos contumeliosissimè debacchantur; Deo scilicet hoc ipso detraxisse, quod Scripturis Traditiones addidimus: ritus à nobis inuectos, humanos, inutiles; quibus occupati negligamus aut etiam corrumpamus, quæ sunt cælestis disciplinæ. Quid illis vocibus præclarius! aut ad suggerendas vulgi animis flammas instructius? Patrocinari Scripturis, & per hoc Deo; eruere de Ecclesiæ campo mores, præcepta, solemnia, quæ humana curiositas insæuit. Nihil pulchrius. Sed iam vide, Sectarie, quanto scelere & nobis imponatis, & illis, quos per hæc maledicta ab Ecclesiæ sinu auertitis.

Non pietatis, non Scripturæ, non Numinis, sed vestræ superbiæ causam egistis: Sciant enim illi quos fallitis, sciant omnes qui Christi nomen colunt, nullibi loco maiori quàm apud Catholicos esse Scripturas: credere eos, quæ in Scripturis sunt, à Deo omnia esse; summo flagitio deuinci qui his addi, aut detrahi velit; Denique tanquam Spiritus sanctus loquatur, ita Catholicos Scripturas audire

ac vereri. Quem igitur præter nos honorem Scripturis habetis? Nullum omnino. Quæstio est, non de earum authoritate, sed sensu; Nempe vtri peritius illas exponant. Hinc pugnatis, non pro illis (quas & Patres coluerunt, & sanctè nos colimus) sed pro ambitu vestro; & interpretatione quam ipsis affingitis; vt à vestro scilicet sensu Orbis pendeat; pendeāt & Scripturæ. Tria tantùm sunt quæ in controuersiam cadere possunt: Quinam libri sint in Scripturis Canonicis numerandi: Tum quorum sit Scripturas exponere, (cui annecti potest, an eius, sine legentium discrimine, lectio vtilis passim) Vtrum denique lex omnis Christiana, & omnia Christi pręcepta, Apostolorumque instituta, ita in Scripturis sint, vt Traditionibus non sit fides habenda. De his tribus differendum.

Plures libros deletis ex Canone Scripturarum; siue quòd vobis officiant, siue ea nouitate quæsituri ingenij famam: fortè etiam vt per omnia in nos pugnetis. Libri illi sunt, Tobiæ, Iudith, Sapientiæ, Ecclesiastici, Baruch, Machabæorum. Etiam Iacobi Epistola adeò

Paren-

Parenti veſtro Luthero non placuit, vt ſtramineam appellaret. nec maioris illi momenti Iudæ Epiſtola, Pauliq́; ad Hebræos. Petri ſecundam, Ioannis ſecundam, & tertiam, recipere dubitat. Apocalypſi verò non parcit. Nobis igitur hìc pro Scripturis pugnandum eſt, in vos ſcilicet qui Scripturarum aſſertores vultis audire.

Ac priuſquam de ſingulis libris: peto à te, Sectarie, cuius exiſtimes, iudicare qui ſint libri Canonici, quive Apocryphi. An hoc à iudicio ſingulorum, an à conſenſu Eccleſiæ? Iterum peto, an omnes hi libri quos vel ipſi recipitis, primæ Eccleſiæ temporibus pro Canonicis publico conſenſu ſint habiti. Imperitus qui hoc dicat. Certè de Epiſtola Iacobi, & Iudæ, & de ſecunda Petri, quas omnes Caluiniſtæ recipiunt, Orthodoxis olim omnibus non conueniebat. Latini etiam de Epiſtola ad Hebræos ambigebant; Græci de Apocalypſi. Poteſt ergo Eccleſia libris authoritatem tribuere, & Canonicos declarare, qui antea illius authoritatis haud erant; vel certè erratis vos, Galli, Britanniq́; hęretici, qui ſcripta quæ con-

ſtat apud multos, magnosq́; Catholicos publicè olim, impunè, liberè, à Sacrorum Canone fuiſſe reiecta, iam ſacra, iam Canonica eſſe fatemini. Vnde enim habetis libros eiuſmodi eſſe Canonicos? à iudicio veſtro? ergo & meo iudicio ipſe decernam; quid ſacrum, quid profanum; quid certum, quid incertum; Ab Eccleſiæ conſenſu & decreto? ergo in ea re Eccleſiæ iudicium valet. Si valet, cur Sapientiam, Eccleſiaſticum, &c. repudiatis? Certè, ſi ad initium reſpicitis, tam de duabus poſtremis Ioannis Epiſtolis, de Petri ſecunda, de Pauli ad Hebræos, dubitabatur, quàm de Sapientia, cæterisq́; quæ vobis iam non placent; Si ad ſequentes ætates, tam hi quàm iſti ab Eccleſia ſunt probati.

Quid dicetis? Priusnè ab Eccleſia ſecundam Epiſtolam Petri, & alia quę recipitis, eſſe laudata, quàm Sapientiam, & cæteros libros de quibus diſceptatis? O mirifici roboris argumentum! Quidni & dicã? Quatuor Euangelia prius Eccleſia agnouit, quàm Epiſtolã ad Hebręos, & Petri ſecundam: ergo nec admittenda Epiſtola ad Hebręos, nec Petri ſecunda.

At

At (inquies) Scripturarum libros admittimus, quos S. Hieronymus author est suo æuo admissos. Frustra ergo culpamur. Vana ratio. Primùm enim Pauli Epistolam ad Hebręos in Sacris numeratis: At is docet non indubiè in Sacris suo æuo numeratam. Epistola ad Paulinum, *Paulus Apostolus*, inquit, *ad septem scribit Ecclesias. Octaua enim ad Hebræos, à plerisque extra numerum ponitur*. Et planius ad Dardanum, De terra repromissionis: *eam Epistolam Latinorum consuetudo non recipit inter Scripturas Canonicas*. Præterea, an putatis ad Hieronymi tempora potuisse Ecclesiam statuere qui sint Canonici libri; nec postea potuisse? Valuerat eius authoritas in asserendis Epistolis Iacobi, & Iudæ, Petriq; secunda, quibusdam præterea alijs. Tum subitò hoc posse desierit? Quod monstrũ? quis exitus potestatis Ecclesiæ?

Sed est tamen reuerentia seculis; & res plerunque vetustate conciliantur. Petes itaque, quàm antiqua de libris Canonicis nostra sententia. Antiquissima illa, Sectarie. Libri enim de quibus disceptamus, omnibus ætatibus habuere

eximios viros, imò Ecclesias semper totas, easq; Catholicas, qui eos pro Canonicis celebrarent, qui ijs tribuerent Spiritum sanctum authorem; & id quidem publicè, liberè, sine offensione vniuersalis Ecclesiæ, quæ profanis, & humana scientia editis libris, hunc honorem haberi non ferret. Testis nobis Augustinus (Lib. II. de Doctr. Christ. Cap. VIII.) qui & omnes hos libros quos hodie Canonicos Romana vocat Ecclesia, ipse nominatim Canonicos vocat, & docet ex ijs nullum esse quem pro sacro atque Canonico alicubi terrarum Ecclesia Catholica non admittat. Et ne dubites quid per Scripturam Canonicam velit; liquidò ait, Lib. XI. de Ciuit. Dei Cap. III. Christum esse, qui *Scripturam condidit, quæ Canonica appellatur, eminentissimæ authoritatis, cui fidem habeamus*, &c.

Discrimen tamē (dices) inter libros Canonicos constituit, De Doctr. Christ. Ibid. Ita enim erudit Scripturarū indagatorē. *Tenebit igitur hunc modum in Scripturis Canonicis, vt eas quæ ab omnibus accipiūtur Ecclesiis Catholicis, præponat eis quas quædam non accipiunt. In eis verò quæ* non

non accipiuntur ab omnibus, præponat eas quas plures, grauioresq; accipiunt, eis quas paucioris, minorisq; authoritatis Ecclesiæ tenent. Si autem alias inuenerit à pluribus, alias à grauioribus haberi, quãquam hoc facile inueniri non possit, æqualis tamen authoritatis eas habendas puto. Imò vides, Sectarie, illa prælationis, & authoritatis discrimina, respectu temporum, locorumque, ab Augustino statui; non librorum. In ipsis nempe libris discrimen haud ponit; sed in vsu Ecclesiarum: Adeò vt si tunc Epistola ad Hebræos in pluribus recepta esset Ecclesijs, quàm Apocalypsis, eam illi Augustinus preferri iuberet; sin contrarium, etiam valere morem vellet. Neque enim libros numerat, designatve nominatim, qui sint alijs preferendi: cùm & hoc tamen maximè ex re, nec homini, qualis is erat, in diuina scientia summè perito, difficilè; si qui reuera ex Canonicis libris sua natura extitissent eiusmodi, vt vni alijs præferri debuerint. Vsui id reliquit Augustinus, & Ecclesiarum arbitrio. ratus ipse à Spiritu sancto omnibus esse originem; vt vel hinc constat quòd enumeratis qui ex nostra

ſententia vetus teſtamentum cõſtituunt, addat; *His quadraginta quatuor Libris veteris teſtamenti terminatur authoritas.* An verò, Sectarie, *veteris teſtamenti authoritas*, niſi in ſanctis, veris, & Canonicis libris? De Sapientia etiam & Eccleſiaſtico, de quibus hoc ſeculo litigatis, ibidem pronunciat; *quoniam in authoritatem recipi meruerunt, inter propheticos numerandi ſunt.* Oſtendit denique non fuiſſe ex ijs libris vllum, quem Eccleſiæ aliquot Catholicæ non omnino reciperent, vt verè Canonicum, & à Deo profectum. Nec Eccleſias culpat; nec abdicandam à librorum illorum aliquo authoritatem putat, quam hæ illis tribuebant. Nonne ergo ex Auguſtini mente libri hi omnes, certi, atque diuini?

Repones iterum: quò igitur inter libros Canonicos prælatio, de qua hìc Auguſtinus? Facilis ad intelligere volentem reſponſio. Non refertur illa prælatio ad aliquam inter hos libros pugnam. quaſi vnus eorum ſcilicet dicat quod alius neget, & præferenda ſit vnius authoritas, vt alter condemnetur: Sciuit omnes Auguſtinus vnius ductu ſcriptos. Ex his tamen

men prçferendos, ad diſcendum', & legendum, oſtendit, qui eo tempore in pluribus Eccleſijs Catholicis locũ haberent. Eo enim ſeculo nondum Eccleſiæ vniuerſo conſenſu omnes inſimul erant in certum catalogum, albumq́; repoſiti, quo omnium Chriſtianorum varia de ijs opinio certa lege teneretur; ſed Græci Apocalypſim nolebant, Latini Epiſtolam ad Hebræos: Hæc denique, aut illa Eccleſia, de his aut alijs libris, ex antiqua, necdum ſatis refutata conſuetudine, dubitabat. Vnde Euſebius de Canonicis aliquot Epiſtolis agens. Lib. II. Hiſt. Cap. XXII. ait eas, non ab omnibus quidem, ſed à plurimis tamen Eccleſijs eſſe receptas. Sed iam in eo tamen conſenſerant omnes, ſolos quadraginta quatuor libros eſſe, qui in veteri teſtamento poſſent admitti (vt antè ex verbis Auguſtini retulimus) quos & nos hodie ſolos admittimus: Nec in nouo teſtamento alios numerabant, quàm quos modò Catholici. Non ergo licebat Eccleſijs ſpurium librum his veris, & legitimis admiſcere; ſed aliquos tantùm, pro regionum & prouinciarum more, ex his ipſis veris libris

atque

atque legitimis omittere; eò quòd nondum his robur ex generali consensu, aut sanctione Ecclesiæ accessisset. Prudens ergo Augustini consilium fuit; vt illæ ex Scripturis præferrentur, quarum vis nota, recepta, ipso vsu declarata, his quas Ecclesiæ quidem, illæque Catholicæ, sed non omnes receperant. Et illius prælationis vtilitas; quòd quantùm ad doctrinam, sit omnium vna; quantum ad vsum verò, multò illarum tunc, quàm istarum prolixior; cùm earum authoritas apud nullos, aut paucos, in controuersiam caderet; istarum apud plures. Sed & regula illa quam tradit, an non iugulat vestram causam? Nonne, inquam, illi libri, à quibus diuinam vim abiudicatis, *ab omnibus Ecclesiis* in seriem Scripturarum recepti tunc erant, cùm vos tanquam omnibus maiores Ecclesijs, de vnoquoque esse iudices voluistis?

Cęterùm illa Ecclesiarum diuersitas in legendis, probandisq; Scripturis, penè sub ipsa Augustini tempora cœpit maiori consensu coërceri: Et librorum omnium qui etiam hodie sunt Canonici nobis, publicè Concilio Carthaginensi authori-

tas est sancita; quod Bonifacij primi temporibus celebratũ est, circa annum Domini CCCC.XX. adhuc superstite Aurelio Carthaginensi Episcopo, qui Augustino paulò antè defuncto summè amicus, & in Christi Domini bello sodalis extiterat. Verba sunt. *Item placuit, vt præter Scripturas Canonicas nihil in Ecclesia legatur sub nomine diuinarum Scripturarum*; Tum libri nominatim numerantur, quos hodie pro Canonicis Romana obseruat Ecclesia; ne vnico quidem excepto. Refertur hic Canon Concilio III. Carthaginensi, cui Augustinus interfuit; sed ex verbis ipsis constat, posterioris Concilij esse, quod paulò pòst sub Bonifacio conuocatum ea ætate qua diximus; sub Bonifacio, inquam, primo; post quem, & ipsius successorem Cælestinum, Concilium Carthagini habitum non habemus, occupata à Vandalis Africa, bellisque, & mox barbarie fœda. Nec ab illo æuo reperias, Ecclesiam isti Sanctorum Librorum Catalogo, aut addi aliquid, aut detrahi passam. Baruch enim sub Ieremiæ Prophetia Veteres comprehendunt; vt non mirum si hìc nihil de eo nominatim. Nam

& pas-

& paſſim, Baruch verba, Ieremiæ nomine referunt Patres. Ita S.Proſper Lib.1. De vocat.gentiū, Cap.1x. Ita Clemens Alexādrinus Lib.1.Pędag.Cap.x. Ita alij ſæpe. Sic ab annis mille ducentis Libri pro Sacroſanctis ſunt habiti, quorum fidem hoc ſeculo ſolicitauiſtis. Hæc quidem in commune pro omnibus. Nunc de illis ſigillatim.

Tobiam Canonicum eſſe non vultis. At volebat Cyprianus, qui, Sermone de Eleemoſ. ait, quæ in Tobiæ libro ſunt à *Spiritu ſancto* eſſe. At volebat Ambroſius, qui, Cap. 1. De Tobiæ Libro. *Lecto*, inquit, *prophetico libro qui inſcribitur, Tobias, quamuis plenè vobis virtutes Sancti Prophetæ Scriptura inſinuauerit, tamen compendiario mihi ſermone de eius meritis*, &c. Niſi fortè Prophetarum Prophetici Libri Canonici non ſunt.

Iudith Librum ex Canone reijcitis. At non reiecit Nicænum Concilium, magnum illud, & primum. Audite Hieronymum, Pręfatione in Iudith. *Apud Hebræos Liber Iudith inter hagiographa legitur, cuius authoritas ad roboranda illa quæ in contentionem veniunt minus ido-*

nea

nea iudicatur. Chaldæo tamen sermone conscriptus inter historias computatur. Sed quia hunc librum Synodus Nicæna in numero Sanctarum Scripturarum legitur computasse, acquieui postulationi vestræ, &c. Nihil disertius. Est, inquit, ille Liber tanquam Sanctus apud Hebræos, non sic tamen vt ad Fidei controuersias satis valeat eius authoritas. *Sed* Nicæna Synodus eum sacris Scripturis annumerauit. Quid hoc est, nisi Iudæis non Canonicum esse, *sed* ex authoritate Nicæni Concilij Christianis esse Canonicum, *& ad roboranda illa quæ in contentionem veniunt idoneum iudicari?* Ambrosius quoque (Libro de Viduis) Iudith Librum *Scripturarum Librum vocat*; eodem prorsus modo, quo & paulò post, vbi de Debora, Librum Iudicum *Scripturam* appellat.

Scio Hieronymum (Præfatione in Prouerb.) censere hunc Librum inter Scripturas Canonicas non referri. Sed vt vides, ab ea opinione recessit, authoritate Nicæni Concilij, quam fortasse minus antè aduerterat. Prius, inquam, hunc Librum reiecit à Canone, posteaq;

admi-

admiſit. Nam ſi è contrario ante Canonicum cenſuiſſet, ac deinde Apocryphũ, nonne hunc putas tam grande argumentum quod ipſe protulerat (nempe ſententiam Nicæni Concilij) alijs argumentis ſoluturum? Nonne vel interpretatus Concilij mentem eſſet, vel omnino dixiſſet, nihil eiuſmodi, quale ante crediderat, in fauorem Libri iſtius à Concilio cogitatum? Nec intereſt quòd in Scriptis Hieronymi, præfatio in Iudith quæ huic libro fauet, præcedat illam in Prouerbia, qua detrahit. quaſi ea in re dicendum ſit, *prioribus poſteriora derogare*. Nam non ſequitur poſterius à Hieronymo ſcriptum, quia poſterius collocatur. Neque enim Librorum Sanctorum Præfationes, ex ratione temporis quo ſunt à Hieronymo editæ locum habere in eius Scriptis exiſtimes; ſed ex ſerie qua in Scripturis Libri Sacri ponuntur, quibus illæ conueniunt; quo ordine Liber Iudith præcedit Prouerbia. Idoneum ad eam rem argumentum, quòd Hieronymus non continuato labore ſibi deſtinarit hoc penſum, vt vniuerſam Scripturam latinè transferret, & præfatione augeret; ſed mo-

modò hunc, modò alium Librum, prout amici flagitabant. quippe Pentatheuchum, Desiderij; Paralipomena, Chromatij; Esdram, Domnionis; Tobiam, Heliodori precibus vertit. alios aliorum studijs dedit. At quis putet hoc fuisse Hieronymi fatum, vt nunquam rogaretur in Latinum vertere libros, nisi qui proximè sequerentur quos antè vertisset? Quid quod ipse testatur se prout ferebat animus, interdum ab vltimis Libris ad priores commentario illustrandos reuolasse? Ita enim Procemio Commẽtarij in Epist. ad Galat. *Pauci admodum dies sunt, ex quo Epistolam Pauli ad Philemonem interpretatus, ad Galatas transcenderam, multis retrorsum in medio prætermissis; Et ecce subito, &c.*

Ad extremùm, hìc potius ex Nicæni authoritate Concilij asserimus Librum Iudith, quàm ex Hieronymi; quem de illius seculi licentia scimus libros aliquot à Canone reiecisse, quos & tunc quędam Ecclesiæ Catholicæ, vt modò ex Augustino probauimus, pro Canonicis colebant; & tota deinde summo consensu Ecclesia, (vt constat; nec Sectarij negant)

esse

esse Canonicos, & inuiolabilis sanctitatis professa est.

Venio ad *Sapientiam*; quam nec agnoscitis. At agnouit Ambrosius, qui Lib. De Parad. asserit *Salomonis* esse hunc librum; & Lib. I. De Virginib. sententiam inde daturus. *Neque meam vllam sententiam affero*, inquit, *sed eam repeto quã edidit Spiritus Sanctus per Prophetam*. Agnouit & Augustinus, Ambrosij fœtus in Domino; Lib. II. De Libero Arbitrio. Cap. XI. qui aliqua prolaturus ex Sapientiæ Libro, *Verumtamen*, inquit, *quoniam nihilominus in diuinis libris de Sapientia dicitur, quòd attingit à fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter*. In diuinis igitur Libris, si Augustino fides, *Sapientia* est; ex cuius VIII. Capite illa deprompsit. Nec interest, quòd alij Salomonem, alij Iesum filium Sirach, huic Libro authorem esse putent. Nam magnopere non pugnamus quis mortalium illi scribendo destinatus à Numine. Satis est, Spiritu Sancto suggerente conceptum. Nec omiserim, fieri posse, vt sparsas Salomonis sententias in hũc Librum ille Iesus coëgerit.

Iam

Iam de Ecclesiastico. Nam & illi in Canone locum negatis. Sed non negat Augustinus; qui quòd Donatum credidisset quædam verba subtraxisse, ab illa Ecclesiastici sententia, *qui baptizatur à mortuo, & iterum tangit illum, quid proficit lauatio eius?* ait (Lib. I. Retract. Cap. XXI.) se in eum graui contentione inuectum, *tanquam*, inquit, *in furem diuini eloquij vel violatorem*. Ambrosius in Psalm. CXVIII. testimonium ab Ecclesiastico sumptum, vocat *Testimonium Scripturarum*. & Serm. I. super III. Ecclesiastici, quædam Ecclesiastici verba daturus; *Dicit*, inquit, *Scriptura diuina, ignem ardentem, &c.*

Abigitis denique Machabæos: sed hoc longè ab Augustini mente; cuius verba sunt, Lib. XVIII. De Ciuitate Dei Cap. XXXVI. *In quibus sunt Machabæorum Libri, quos non Iudæi, sed Ecclesia pro Canonicis habet*. Objicit tamen pessima fraude, Petrus Martyr, censere Augustinum, Scripturas Machabæorum non esse *sicut Legem, & Prophetas, & Psalmos*. Lib. I. contra Gaudentium, Cap. XXIII. Apud Iudæos quidem, Petre Martyr.

Verba ſunt Auguſtini, *Scripturam quæ appellatur Machabæorum, non habent Iudæi ſicut Legem, & Prophetas, & Pſalmos*. Addit porrò. *Sed recepta eſt ab Eccleſia non inutiliter, ſi ſobriè legatur, vel audiatur*. Quid illud *recepta eſt*, niſi, recepta vt habeatur ſicut lex & prophetæ? Nam ſi *receptam* ſimpliciter velis, inſtar librorum aliorum quos legimus vulgò, nec tamen eo loco habemus, vt ex illis quid credendum, damnandumve colligamus; nulla in hac re inter Iudæos, Eccleſiamq́; diſſenſio. Nam & recepti hi libri à Iudæis ita erant, vt paſſim legerentur. Et tamen Auguſtinus oſtendit, alia ratione ab Eccleſia quàm à Synagoga eſſe receptos; vt latinè intelligenti patet. *Scripturam hanc non habent Iudæi, ſicut legem, &c. Sed recepta eſt ab Eccleſia*. Sobriè porrò legenda, vt & Canticum Canticorum, & pleraque in Scripturis, in quibus male feriati animi, poſſunt maximo ſuo damno verſari. Nam & in Machabæis habentur eorum exempla, qui mortem ſibimet conſciuere, quæ ita ſobriè ſunt legenda, ne putentur ad imitationem eſſe trahenda. Nec ſecius pro

iſta

ista *Scriptura* Tertullianus, Lib.aduersus Iudæos, Cap.IV. Illic enim librorum eorum authoritatem iactat, in afferenda re fidei,eaque grauissima. Quippe probandum susceperat, legem Mosaycam, *non æternam,non immutabilem esse*; sed temporalem, & quæ debuerit aliquando finiri; probat autem ex eo,quòd ipsis eam interdum violare licuerit. *Nec dubium est*, inquit, *opus seruile eos* Iudæos *operatos, cùm prædas belli agerent ex Dei præscripto. Nam & temporibus Machabæorum Sabbatis pugnando fortiter fecerunt.* Nec dubium est,ait. Hoc vt probet,nonne *indubitata* afferenda probatio? At quę *indubitata* illa? Ex Machabæorum historia. Ergo ex Tertulliani sententia, & *indubitatæ veritatis* hi Libri sunt; ne referri ei posset, non ita rem gestam, vt illic memoratur; Et *indubitatæ authoritatis*; ne quis argumentum posset euertere, negando,ex eorum Librorum præscripto Dei legem metiendam. Addit, *Vnde manifestum est, ad tempus & præsentis causæ necessitatem conualuisse, vt non ad perpetui temporis obseruationem huiusmodi legem eis Deus antè dedisset.* Manife-

ſtum ? quis eruditus ſcribat ex Libro aliquo manifeſtum quo modo intelligenda *Lex Domini*, præſertim in re adeo graui, niſi ex eo qui ſit iuſtæ & *manifeſtæ* authoritatis ad res fidei explorandas ? Atqui nullus, Sectarie, etiam veſtro iudicio Liber eiuſmodi, niſi qui ſyncerè, & ſine exceptione, Canonicus. Igitur Tertulliano ſunt Machabæorum Libri eo modo Canonici.

Nec nugentur hæretici, eos humano ingenio,non diuina vi,ſcriptos;quòd Author extremis Libri. II. verbis veniam deprecetur, ſi quid ſcripſerit ſecus ac hiſtoricum decet. Conſtat enim non rerum ipſarum errores, ſed ſtyli humilitatem,modeſtum Authorem excuſare,Quia ſemper rerum ipſarum, at non vtique & verborum,in Scripturis,propriè ac *immediatè* author Deus. Nec loquendi proprium morem exuere Prophetæ, cùm induerent Spiritum Sanctum. Iſaias ornatè loquutus, qui nobilis, qui frequens in aula, Amos pro generis conditione humilius. Fatetur quoque Paulus ſe *ſermone* imperitum. II. Cor. XI. Niſi ſtolidè & impiè velis, in ea Epiſtola Paulum ex hu-

ex humilitate mentitum. En autem illa ex Machabæis verba. *Ego quoque in his faciam finem sermonis. Et siquidem benè & vt historiæ competit, hoc & ipse velim: sin autem minus dignè, concedendum est mihi. Sicut enim vinum semper bibere, aut semper aquam, contrarium est: alternis autem vti, delectabile: ita legentibus si semper exactus sit sermo, non erit gratus.* Viden disertis verbis, de *sermone*, idest, de verbis, & stylo loquutum? Sed & aliter inepta fuerit similitudo quam profert. Nam vt vino interdum, interdum aqua vti delectat, ita & varij tenoris in historia stilus placet. At serio homini, in graui historia, quis nisi nebulo, aut nugator, veris falsa misceri placere existimet?

De Noui Testamenti Scriptura leuius agam; quòd in omnes eius partes Caluinistæ consentiant, ex quibus hæreticorum pars hodie propemodum maior. In reliquos, quò breuis sim, vno authore pugnabo; cuius ingens apud cordatos authoritas. Is erit Augustinus. Ac ne per omnia eius scripta nunc vager: en quid in Libris de Ciuitate Dei. Primùm Lib.

Xx.Cap.Xxi. vt exponat illud quarti ad Hebræos, *Viuus est enim sermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti*, sic loquitur. *Et sermonem Dei dicit Scriptura gladium bis acutum, propter aciem geminam Testamentorum duum.* En vt in Scripturis, Lutherane, computat Augustinus Epistolam ad Hebræos. Iam de Iacobi Epistola. Lib.Xxi. Cap. Xxii. De Ciuitat. *Ergo & ad hoc genus Eleemosynarum pertinet, quod ait Apostolus Iacobus; Iudicium futurum sine misericordia ei qui non fecit misericordiã.* quæ sententia est Iacobi Cap.ii. Epistolæ suæ Catholicæ. Viden Augustini iudicio, Iacobum Apostolum Epistolæ illius authorem? Aequè disertè de Epistola Iudæ. Libro Xv. de Ciuit. Cap. Xxiii. *Scripsisse quidem nonnulla diuina Enoch illum septimum ab Adam, negare non possumus, cùm hoc in Epistola Canonica Iudas Apostolus dicat.* Apocalypsim autem non semel iterat Ioannis Apostoli Librum esse. Ita Lib.Xx.De Ciuit.Cap. Viii. vbi de quibusdam Apocalypseos mysterijs, *Neque enim frustra idem Ioannes Apostolus, qui & hanc Apocalypsim*

scri-

ſcripſit, in Epiſtola ſua de quibuſdam dixit, &c. Neque negat ſecundam, & tertiam Ioannis Epiſtolam, qui de prima ſic meminit, *Ioannes in Epiſtola ſua de quibuſdam dixit*, &c. Nunquid enim cæteras Pauli Epiſtolas negare putandus eſt, qui dixerit, Paulus in Epiſtola ſua ait, fidem ſinè charitate non prodeſſe? Adde, quòd prolixior illa prima Ioannis, plenioŕq; præceptis eſt; cæteræ duæ, breues omnino, & de quibus ſubdubitabant adhuc aliqui, ea ætate; Vt non mirum ſi eam primam appellarit *per excellentiam*, vt loquuntur, *Ioannis Epiſtolam*. Cæterùm ipſe & ſecundam, & tertiam quoque agnoſcit, Lib. II. De Doctr. Chriſtian. Cap. VIII. in Catalogo Scripturarum. Illic enim Canonicas Epiſtolas *terminari* iſto numero ait, quatuordecim Epiſtolis Pauli Apoſtoli, Petri duabus, tribus Ioannis, vna Iudæ, & vna Iacobi.

Sed abeo ab hac arena. Cum Lutheranis Caluiniſtæ diſputent de harum Scripturarũ veritate. Operæprecium erit Andabatarum ille concurſus. Nã repudiata authoritate Eccleſię tam hi ſciunt cur hos libros admittant, quàm illi cur contẽnant.



CAP. XII.

Cuius sit Scripturas exponere. Quàm in eo absurdè errent Sectarij. De prudentia, & moderatione Ecclesiæ, in permittenda lectione Scripturarũ; Contra Sectariorum calumnias.

VIDENDVM nunc cuius sit Scripturas exponere. imò an opus aliquo qui illas exponat. Inde enim facilis tot rixarum sit exitus; cùm proculdubio eius sensui standum sit, cuius est de sensu Scripturarum ferre sententiam. Aiunt Sectarij, Scripturarum esse ipsarum de Scripturis iudicare: Fatentur & Ecclesiæ esse, modò sit vera, atque legitima; modò quoque Scripturas ex sensu & norma Scripturarum exponat. Quæ quàm sint ludicra, paucis expende Sectarie.

Scri-

Scripturarum est (ais) Scripturas exponere; id est, ex Scripturarum vno loco alius explicandus. At peto, num Scripturarum ille alius locus quem exponendo alteri sumis, expositione ipse non egeat. Eget omnino. Alioqui nullæ olim hæreses extitissent; nulla hodie lis inter nos; si, inquam, aliqui Scripturarum loci essent, qui ita cæterorum interpretationi seruirent, vt ipsimet nec sumi in varios sensus possent, nec interpretatione corrumpi. Cur modò disputamus de sensu Scripturarum, si Scripturæ ita se habent? sin secus; cur enormem hanc regulam de Scripturis exponendis concinnastis? Cur aut vobis, aut vestris imponitis?

Dices; Imò Ecclesiæ potestatem hanc facimus, vt Scripturas exponat. Vtinam faceretis. Sed vt omittam, vos Ecclesiam quærere qualis in hunc diem haud fuit, nempe quæ nihil crediderit, præter id quod vos modò; conditionem præterea additis, quæ iudicium illius Ecclesiæ iudiciorum vestrorum examini multo fastu subijciat. Dicitis enim, *modò Ecclesia ex præscripto verbi Dei, & mente Scripturarum, Scripturas exponat*. Quis autem

tem iudex erit vtrum hanc in interpretationibus suis legem implerit Ecclesia? Scripturæ ipsæ, inquis. Dic verò, Sectarie, an in insomnijs quicquam absurdius? Ecclesiæ est Scripturas exponere; & Scripturarum est de illa interpretatione Ecclesiæ iudicare. Quis hic circulus? quæ corona sine exitu se conuoluens? qua denique ratione Scripturæ de illa interpretatione Ecclesiæ sententiam ferent? Suane an aliena voce? Aliena? Ergo aliquis erit maioris authoritatis in interpretatione Scripturarum, quàm sit ipsa Ecclesia; aliquis, inquam, cuius voce Scripturæ vtantur in arguenda Ecclesia; & cui plusquam Ecclesiæ sit credendum. Sua? At qua ratione loquentur? Quia, inquis, res liquida erit ex contextu ipsarum. Quomodo autem liquida res, si eum contextum Ecclesia non intellexit? si in expositione decepta est? Adeonè absurdam fingis Ecclesiam, vt rem quam omnibus peruiam putas, rem omnibus claram, rem de qua tu, aut ego, sat possumus iudicare, sola non capiat?

Age autem cui credes de huiusmodi Ecclesiæ errore referenti? Caluino, Luthero,

thero, vicino tuo, tuo Miniſtro? quàm tu verò humilis, cæciq; ingenij, qui eiuſmodi authoribus credere malis, quàm vniuerſæ & antiquæ Eccleſiæ! At (inquies) trutino ipſe Eccleſiæ ſenſum, & deinde Caluini; Vtrumque ad Scripturas exigo: Tunc quia mihi videtur melius, magisq; ex ſenſu Scripturarum dixiſſe Caluinus, accedo ad illum; Romanæ Eccleſiæ repudium mitto. At at hoc illud eſt; hinc omne odium in Eccleſiæ diſciplinam; ſuperbus nempe animus, & ſibi vni credere volens. Quantum enim inde, Sectarie, iudicio tuo priuato imperium! Quicquid ſit, quiſquis Scripturas exponat, niſi ipſe iudicas ritè expoſitas, in alios ſenſus abis? Ea norma, omnes Paſtores ſibi erunt; ſinguli ſe docebunt; alios in conſilium fortè de fidei rebus admittent, ſed de iiſdem ipſi ſinguli iudices erunt.

Tu verò qui ex Eccleſiæ iudicio iudicium tuum regere non vis, viſne alios cogi, vt iudicium tuum ipſi ſequantur; id eſt, ita credant exponendas eſſe Scripturas, vt ipſe exponis? Si ita vis, quæ tyrannis, vt tibi priuato deferri plus poſtules, quàm tantæ Eccleſiæ ipſe detuleris?

Si non

Si non vis; ergo & mihi ſenſus alios tua pace licet inire; & vel Arium ſequi, vel Pelagium, quorum vterque non negando Scripturas, ſed ex ſua mente exponendo, peccauit; vel mihi quoque ipſi fas nouam ſemitam aperire. Sed de illius immanitate ſententiæ, qua omnis religio, omnis ordo cõfunditur, ſuprà (Cap. II I.) ſatis multa.

Tantùm hic addo, Sectarie; ſi hæc infanda libertas inſediſſet animo meo, vt Scripturas ex meo ingenio vellem audire; non fortaſſe Catholicus, ſed nec veſtrarum Sectarum homo eſſem. Abnuerem in Caluini, in Lutheri, in Eccleſiæ Anglicanæ, in Hugonnoticæ leges ire. Author ego mihi eſſem credendi, ſentiendi. Sed quia neceſſe exiſtimo authoritatem alicuius Eccleſiæ ſequi, & ad illam iudicium cogere, quamuis fortè repugnans; malo Catholicæ Eccleſiæ credere, quæ antiqua, quæ vna, quæ omnibus ſeculis ſanctitate multorum inſignis, à qua denique ipſi vos omnes, non in vnum, ſed in diuerſa, vt cæci & errantes, exiſtis; quàm Sectarum veſtrarum alicui ceruices ſubmittere; quarum omnium

vnus

vnus duntaxat nexus, vt à nobis dissentiant; vna sententia, vt Scripturas ad suã mentem intelligant; sed multò deinde grauiores, quàm nobiscum, inter se rixæ: quas denique constat ex Ecclesiæ nostræ corpore exiuisse, & ab ea, tanquam insana, ac tabentia membra, esse præcisas.

Nos verò sub Christi, & Ecclesiæ iugo, submoti ab eiusmodi fastu, de Scripturis, & earum expositione, ita sentimus; Esse illas diuina Oracula, Spiritus sancti verba. Sed omnium oculos non ferre tantam lucem. Multa in illis esse obscura, multa ambigua; vt eodem Spiritu qui his author est, opus sit exponendis. Eum Spiritum Ecclesiæ datum scimus, eum illi *vsque ad consumationem seculi adfuturum*. Standum igitur expositioni ipsius: cum ea aiendum, negandumque. Eximiè Augustinus Lib. De Quantit. Animę. *Authoritati credere magnum compendiũ est, & nullus labor*. Ecclesiam autem nostram, veram illam & vnicam esse Ecclesiam, fusè antè probatum est, Capp. VI. VII. VIII.

Sed hìc quædam arcenda à fama Ecclesiæ maledicta: quidam errores in vobis

bis carpendi sunt. Dicitis apud Catholicos latere Scripturas; ab hoc pastu arceri Christi oues; vix vnis Sacerdotibus eam lectionem concedi. At hæc quanta iniuria! Imò ex Catholicis viris nemo, nulla ex mulierum grege, prohibetur à probatis Scripturarum codicibus, qui Hebraicè, qui Græcè, qui Latinè sunt editi. Vulgatis autem linguis vt cautio adhiberetur, prudens consilium fuit, & ex plebeculæ malis ortum. Decretum igitur, ne Scripturas in vernaculam linguam versas, aut vir, aut fœmina legeret, nisi annuente Episcopo. Illum enim iudicaturum, cui sit stomachus patiens tanti cibi. Quid hìc autem non prorsus laudabile? Certè enim cur vernacula prohiberetur editio, potius quàm Latina vel Græca, magna ac celebris causa; quòd qui Latinè sciunt, saltem aliquo modo mitigarint literis animum, & aptiores videantur ad legendum, discendumque: At vulgus (quod hìc non ex genere, aut opibus, sed imperitia metior) facilius in scandalum possit offendere, & difficilius inde emergat: rudi scilicet animo, nec subtilitatum, distinctionumve capaci, qui-

bus

bus ad hæc ſtudia opus.

Vnde enim, niſi à promiſcua iſta Scripturarum lectione, tot inter hæreticos noui hęretici, in Gallia, Anglia, Belgio, vbicunque denique inualuerunt? Viuit adhuc in Anglia non poſtremæ ſortis anus, quæ & ſuo, & delirorum aliquot iudicio, ſapit. Hæc non ignobili Sectario, qui vi conſcientiæ victus in multis ad nos acceſſerat, fortè de Scripturarum difficultate diſſerenti, ita obloqui auſa; nullum in Scripturis locum ſibi obſcurum videri; nullum eſſe cuius ſenſum probiſſimè non calleret. Obſtupuit ille ad tantam amentiam; & ſe verò non tanto lumine à Deo donatum; ſed & multùm laboraſſe Patres omnes, vt oculos mitterent in arcana Scripturarum. Eadem autem mulier, triſti prorſus amentia, vtinam, inquit, omnium Patrum libri, excepta Arcadia (ea eſt apud Anglos amantium Paſtorum fabula) igne periſſent.

Neque hæc ſola eo modo inſanit. Legendi libertas, ſuiq; fiducia, multorum animos ad has furias agit. Nam quæ ſemel ex tenuioribus ingenijs (vt ſunt plerunque mulierum, aut virorum indoctorum)

rum) sibi ipsis finxerunt expositionem Scripturarum, vel ægrè, vel nunquam contra suum iudicium ad Ecclesiæ sententiam, iusta ac humili deuotione accedent. Rectè Ambrosius (Comment. in II. Cap. Lucæ) verendum esse ait, ne Scripturarum Lector ignarus, *magis vulnus ex imprudentia, quàm salutem ex lectione sentiat*.

Nam nec negari potest, in Scripturis obscurissima multa esse, in quibus & prouectæ scientiæ homines sæpe caligent. Summa illa ingenia, Augustinus, Chrysostomus, & cæteri Patres, quo labore in illas quæsiuerunt? quæ inuenere, quot paginis diffuderunt? Nec aliqua modò in Scripturis sparsim obscura, sed & tota Capita, imò Libri. De veteris Testamenti Scriptura vniuersè pronunciat in his studijs summè expertus Hieronymus (Ad Algasiam, Epist. CLI.) quòd *tantis difficultatibus, & futurorum typis obuoluta est, vt omnis interpretatione egeat*. Iam in Nouo Testamẽto; quàm profunda Dei consilia, quàm arcana maiestate descripta sunt? Laborant Sanctissimi Patres, vt Euangelistas inter se concilient: non

quòd

quòd illic aliud pręter verum; Sed quòd nunc rerum ordo turbatus, nunc res strictim exposita, nunc denique non plenè reserata mysteria, ab aquilis tantùm possint inter tot radios deprehendi. De Epistolis autem Pauli crede saltem Petro Apostolo (II.Cap.III.) In ijs ait esse *quadam difficilia intellectu, quæ indocti & instabiles deprauant*. Etiam nominatim de Epist. ad Romanos, Hieronymus, (Quęst. VIII. Ad Algasiam.) *Totus hic Apostoli locus & in superioribus, & in consequentibus; imò omnis Epistola eius ad Romanos, nimijs obscuritatibus inuoluta est*. De Apocalypsi non loquor. Hanc aduersarij vltrò fatentur, numero mysteriorum, & magnitudine, humani ingenij vires excedere.

Neque obscura modò Scriptura; sed & ab obscuritate illa occasio, & argumentum, hæresiarchis quidem, vt à legitimo sensu deflecterent, simplicibus autem animis vt illis adhærerent. Num igitur non sapientissimè constitutum, vt imbecillioribus manibus ille mucro non credatur? Vides autem quàm prudenti moderatione vsa Ecclesia. Neminem, vt

O mo-

monuimus, arceri voluit à Latinis, Græcisvè codicibus;at à vernaculis hos repellit, qui Sacerdotum iudicio tantæ efficaciæ alimentum concoquere non ſat poſſunt: Sed his quoque prouidit, Concionibus in quibus Euangelia referuntur, libris etiam in quibus deſcribuntur; tum Pſalmorum paraphraſi; ſcriptis denique pijs, in quibus ex diuinis literis multa. Quod verò ad hiſtoriam veteris Teſtamenti, eam fusè, & magis ex vulgi intellectu, in Ioſepho inueniunt.

Sed iam & experimento didicimus, licentiam illam (Sectarie) non eiuſmodi vtilitatis eſſe quam ſępe iactatis. Nam quid maioris pietatis populo Angliæ, aut Hugonottis, aut Lutheranis, ex ea lectione? Conferantur cum noſtris Catholicis. Apud nos pietatem, ac Dei timorem, videbis excellere; Apud illos ineptulam quandam ſuperbiam, & opinionem ſcientiæ, qua diſputent, qua trita ſophiſmata ridiculè vrgeant, ſupra ingenij, aut ſcientiæ ſuæ ſortem. Vt omittam apud multos illorum iam Scripturas vileſcere: qui anguſto animo quicquid commune eſt temnunt; alijs autem etiam ſuorum

Mini-

Miniſtrorum venire faſtidium; cùm tam ſuum, quàm illorum exiſtiment, & Scripturas legere, & ad illorum notitiam peruenire.

Quàm denique multa, vel rudibus animis, vel ſibi credere, aut *altum ſapere* ſuperbè volentibus, in Scripturis ſcandalo erunt? Mors ſibi oblata à Samſone, & alijs aliquot Iudæorum; Deus pſeudoprophetæ loquens; Iacobi mendacio eluſus genitor, fraterq; fraudatus; Agar ſuperinducta Saræ, in matrimonio Iacobi ſimul duæ ſorores, totidemq; ancillæ; Tot coniuges, tot concubinæ Dauidi, plures quoque Salomoni; Propheta vnus pro alio ab Euangeliſta prolatus. Quid de libro Ruth dicam? quid de Cantico Canticorum? Ac ne parua exiſtimes; mira hæc facies rerum, Manichæis cauſa fuit, cur in totum à reuerentia veteris Teſtamenti recederent, negarentq; vel iuſtum eſſe Deum, vel Dei ſpiritu conſcripta illa eſſe. Nunquam enumerem in hoc diuino aſcenſu paratas inexpertis voragines.

Submouet ergo, quantum in ſe eſt, periculum Eccleſia, non fructum auertit.


Dispensat illa Scripturas, non adimit vlli. Quòd si cæcus Scripturas vitio corporis haud legere potest; & si ad hoc malum accedat deinde surditas, ne legentes quidem audire; & est tamen Christianus: quanto magis obtusi, aut impotentis iudicij homo, animi vitio ab ijsdem, vtpote nocituris, possit excludi? Omnes tamen de illis communicant, in omnes diuiduntur; siue ipsi has legant, siue alios legentes percipiant, catechismis, concionibus, libris.

Superest non accusatio dicam, sed maledictum in nos. Indices expurgatorios ab Ecclesia esse compositos, quibus ea quæ Romanæ Religioni officiunt, è Biblijs iubeamur eradere. At hoc vna verum est cum Homeri fabulis, cum Herodoti nugis. Nihil falsius, nihil iniquius dictum. Sunt indices quidem, qui editiones Bibliorum hæreticas notent, ac in totum prohibeant; sunt indices, quibus suspectæ aliquot ad Bibliorum marginem notæ damnentur; quæ vel omnino scilicet malæ, vel propter ambiguum sensum ab hæreticis in peius detortæ sunt. Sed vel syllabam ex Scripturarum

textu

textu truncare, nobis nefas, Sectarie. Non hoc licet, non hoc libet Ecclesiæ. Anathema sacrilegis dicit, qui eò furoris peruaserint.

Diximus, quæ Scripturæ sint; Tum à quibus exponendæ. Tertium restat; Num Traditiones in Ecclesia admittendæ.



CAP. XIII.

De Traditionibus. Has iniquè à Sectarijs exagitari. In ista quæstione Sectarios sibi ipsis repugnare.



QVAERIMVS, vtrum Christi, & Apostolorum, omnia, quæ ad salutem & legem Christianam faciũt, instituta, in Scripturis habeantur; vt nihil nos teneat, nihil sit obseruandum, nisi quod illis expresse literis continetur. An verò sit aliud præter

Scripturas Dei verbum, quas nos Traditiones appellamus. Scio dici simul hæc posse, omnia in Scripturis haberi, & tamen obseruandas Traditiones esse. quia earum scilicet cultus in Scripturis imperatus. Disertè hoc habes. II. ad Thessal.II. Ac cùm Scripturę nos iubeant parere Ecclesiæ, vbi nos imperante Ecclesia Traditiones admittimus, vna opera paremus, & Ecclesiæ quæ Traditiones, & Scripturæ quæ Ecclesiam iubet audiri. Nec interest vnamquamque Traditionem *in indiuiduo* in Scripturis non proponi. Nam qui semel mihi legitimo iure præceperit, Seio fortè alicui Titiove parere, omnia ac singula vno verbo exequi iubet, quæ ille Seius Titiusvè præceperit. Ita cùm Scripturæ præcipiunt parere Ecclesiæ, non est opus ea enumerent, quæ nobis præceptura Ecclesia; sed opus vt obtemperemus Ecclesiæ. Alioqui in contemptu Ecclesiæ, & Scripturas contemnemus. Rectè igitur dicas, nihil te cùm Traditiones admittis præter Scripturas admittere; quandoquidem hæ ab illis commendatæ. Denique mutuam operam sibi hæc præstant: Nam

&ex

&ex Traditionibus habemus, Scripturas esse Scripturas; & ex Scripturis, Traditiones esse colendas.

Sed quoniam distingui illa solent, Scriptura, atque Traditio; videamus expressius, an admittenda Traditio, & ipsa verbum Dei dicendum sit. Negant hæretici. Vnde Caluinus, Lib. IV. Inst. Cap. VIII. §. VIII. *Esto igitur*, inquit, *hoc firmum axioma, non aliud habendum esse Dei verbum cui detur in Ecclesia locus, quàm quod lege primùm, & Prophetis, deinde Scriptis Apostolicis continetur*. Lutherus autem adhuc acerbior, in Caput I. ad Galatas, ijs omnibus *anathema* dicit, qui vllam doctrinam attulerint, quæ non expressè legatur in Scripturis. Aliter Ecclesia Orthodoxa, & ex illius sententia Augustinus, Lib. V. Contra Donatistas, Cap. XXIII. *Quæ vniuersa tenet Ecclesia ab Apostolis præcepta benè creduntur, quamquam scripta non reperiantur.*

Nec quid mirum Sectarios ita sentire: Solemnis ijs causa est vt in Traditiones pugnent, suarum sectarum nouitas, ad quām ipsi erubescunt; quæque tum maximè patet, cùm in antiquos Ecclesiæ

vſus inſpicimus; qui quoniam non tã verbis, quã re & praxi conſtant, nõ poſſunt vt Scripturæ torqueri, vel flecti. Hinc omnino illis audacia, vt vetera deſtruant, ne ab illis premantur. Dicunt itaque, omnia in Scripturis haberi: Traditionum plurimas vanas, neceſſarias nullas eſſe. Vide qui campus omnibus inde Sectarijs. Si illos oppugnes conſuetudine Eccleſiæ, Patrum ſententijs, veneratione vetuſtatis, referent, ſe conſuetudines Eccleſiæ haud alias velle reſpicere, quàm quæ in Scripturis ſunt; falli Patres, vt pote homines, potuiſſe; vetuſtatem non idoneam in omnibus eſſe autorem. imò illius facilitate errores ſæpiſſimè inoleuiſſe. Datis his ad terram machinis, qui illos oppugnes? Superſunt ſolæ Scripturæ; quarum authoritate ſi vteris, ipſi de interpretatione contendent. Ita nil egeris. reſtabit vt regnent, vt perdant, ac pereant. Sed & tantæ licentiæ vanitatem innato iudicio plerique illorum agnoſcunt. Itaque ſi cum Orthodoxo contendunt, non in prælij fronte aſſertionem hanc locant; ſed abſtrudunt, tanquam vltimum ac pudendum auxilium. Nimi-

rum quicquid in disputationem venerit, tueri contendunt veteris Ecclesiæ monimentis. vt si cum imperito res illis sit, persuadeant nihil se extra Antiquorum consensum afferre; Si verò agere se sentiunt cū intelligente, qui Traditiones, qui Ecclesiam illis probet aduersam; tum denique stringunt hoc ferrum, nihil se hæc omnia facere; vnis Scripturis adhærere.

Dicis ergo, Sectarie, liquido in Scripturis omnia contineri. illas solas audiendas. si ita est, da verba Scripturæ, quæ hoc ipsum te doceant. Cùm enim solæ Scripturæ sint ex tua sententia audiendæ, non audiam ego te, nisi hoc *dogma* ex Scripturis deprompseris.

Scriptum inuenies, obseruandas esse Scripturas, expellendum qui contra has quicquam docere contenderit: Sed nusquam est, solas Scripturas obseruandas, habendumve pro impio, qui præter has quicquam attulerit. Dicit Paulus, Ad Galat. I. *Sed licet nos, aut Angelus de cælo euangelizet vobis, præterquam quod euangelizauimus vobis, anathema sit.* Certè. Sed neutiquam dicit, quæcunque euangelizauerat illis, in scriptis haberi:

imò

imò aſſerit non haberi. II. Ad Theſſal. II. *Tenete traditiones quas didiciſtis, ſiue per ſermonem, ſiue per epiſtolam noſtram.* Deficiunt ergo Scripturæ ipſam hanc legem, qua iuberi vis ne vlla alia lex ſit, quàm quæ expreſsè in Scripturis.

Quid verò tibi videtur? An prima illa Chriſti Eccleſia ſub Apoſtolis, eorumq; diſcipulis, legitima, pura, vera? Omnino, inquies. Ergo, Sectarie, quicquid teſtimonijs, quæ omni exceptione maiora ſint, euincemus eam Eccleſiam tenuiſſe, id pro ſancto, vero, puro tenendum nobis erit, etiamſi non habeatur in Scripturis; quandoquidem pura Eccleſia fidem impuram habere non poteſt. Hoc autem quid eſt aliud, quàm Traditiones admittere?

Qua porrò ratione, Petrum, ac Paulum, cæteroſq; Apoſtolos, credis in ſpargenda, ſerendaq; fide vſos? Scriptis, an voce? Certè vtroque; ſed & prius, & vberius, & ſæpius voce, quàm ſcripto. Credis verò, Sectarie, aut eos quæ ſingula docuerunt, ſcripto deinde eſſe complexos, aut ex ijs quæ docuerunt ea ſola vim habere debuiſſe, quæ poſtea in Scriptis retulerunt?

Imò,

Imò, inquies, quęcunque docuere, ea voluminum suorum angustijs compendio descripsere. Falsum hoc quidem, vt mox ex ipsis Scripturis docebimus; Sed age; priusquam describerent, nonne æquè obseruanda Christianis hæc fides, nonne, inquam, vt sic loquar, Canonica æquè erat, ac postea cùm in scriptis redacta est? Ne hoc quidem audeas negare, Sectarie. Ergo traditiones in Christi Ecclesia ipsis quoque noui Testamenti Scripturis priores sunt.

Nec de nomine controuersiam feceris, quasi non Traditiones dicendæ sint illæ Apostolorum conciones, illa præcepta. Quid est enim traditio, nisi res quam audieris, aut videris, aliorum memoriæ narrando, docendoq; commissa? qua ratione Apostoli, quæ verbis à Christo acceperant, vel arcana Spiritus Sancti voce, verbis suis Discipulorum cœtui referebant. Ita Paulus. I. Corinth. XI. *Accepi à Domino, quod & tradidi vobis.* Et Lucas se Euangelium suum ait ex Traditionibus concepisse; Cap.I. *Sicut tradiderunt nobis*, inquit, *qui ab initio ipsi viderunt*. Quicquid sit, adeò Christi fides

pri-

primis initijs à solis Scripturis nō pependit, vt plena, vt perfecta diu antè fuerit, quàm omnes Scripturarum libri concepti. Certè Apostolorum Actus, viginti & amplius annis Christi morte posteriores sunt. Aliquæ etiam Apostolorum Epistolæ postea editæ. Apocalypsis denique sub Domitiano conscripta est.

Sed quod caput est, nec pręcepta omnia quibus discipulos imbuebant, Scripturis comprehenderunt Apostoli. Hoc ex Scripturis clarum; vt inuerecunda sit illorum audacia, qui Traditionum odio in Scripturarum fidem insurgunt. Pauca ex multis colligemus. De celebratione Eucharistiæ ita loquitur Paulus I. ad Corinth. XI. *Cætera autem cùm venero disponam*. Ostendant vbi scriptum, quid in hac re instituerit Paulus, quid disposuerit; aut fateantur, pręcepta, & Traditiones Apostolorum omnes in Scripturis non haberi. Item II. ad Thessal. II. *Itaque, fratres, state, & tenete Traditiones quas didicistis, siue per sermonem, siue per Epistolam nostram*. Audi Sectarie. Ait Paulus non omnia quæ docuit se scripsisse; sed præcepta litteris partim,

par-

partim diſcipulorum memoriæ commiſiſſe. & hęc quidem non minoris authoritatis eſſe quàm illa. Habes hìc duo; Et Traditiones Apoſtolicas eſſe aliquas, quę in Scripturis non ſint; & illas haud ſecus quàm Scripturas coli debere. Quòd ſi Traditiones ab Apoſtolo Paulo relictæ Chriſtianis; cur non à Petro etiam, cæteroq; Apoſtolorum collegio? Adeò autem incurioſam putas Eccleſiam, vt interciderit tam grande depoſitum, & media parte bonorum ſit fraudata ſucceſſio?

Non cumulabo argumenta in cauſa victrice. Tantùm Ioannis verba addam. (Cap.XXI.) *Sunt autem & alia multa, quæ fecit Ieſus; quæ ſi ſcribantur per ſingula, nec ipſum arbitror mundum capere poſſe eos, qui ſcribendi ſunt libros*. Putasne *ex alijs illis multis*, quæ in Euangeljis non ſcripta ſunt, nihil Apoſtolos qui Chriſto conuixerant, ad fideles retuliſſe? Certè Paulus (Act.XX.) verbi Domini meminit, quod in Euangelio neutiquam habes. *Oportet ſuſcipere infirmos, ac meminiſſe verbi Domini Ieſu, quoniam ipſe dixit, beatius eſt magis dare quàm accipere*. Non credis eiuſmodi multas

vo-

voces obſeruaſſe Apoſtolos,& olim Chriſtianis tradidiſſe? An ideò non illæ diuinæ, quia non Scripturis exhibitæ?

Nec dicas nihil ſaltem rerũ illarũ quas à nobis obſeruari neceſſe ſit,in Scripturis omiſſum.Repugnat enim Paulus ad Theſſal. vt paulò antè dictum; qui eadem religione ſeruari Traditiones iubet, & ſcripras, & non ſcriptas. Nihil præterea dubium, multarum Scripturarum, quæ obſcuræ ſunt, & neceſſario vſui tamen, ab Apoſtolis traditum eſſe ſenſum, qui per manus in Eccleſia conſeruatus. Nam quis credat aut Chriſtianorũ primarios, cùm Paulo adeſſent,non ab eo ſciſcitatos Epiſtolarum arcanas,anxiasq; ſententias, aut grauatum verò Paulum in tantæ vtilitatis diſciplinam incumbere? Quid porrò eiuſmodi Traditione pręſtantius? Denique illud ipſum (vt ſupra monuimus) in Scripturis ſaltẽ deeſt, Scripturas Chriſtianis ita ſufficere, vt Apoſtolorum, aut Eccleſiæ Traditiones non neceſſariò ſint ſeruandæ.

Quid multis? Vos ipſi Sectarij, verbo tenus Traditiones proijcitis, reuera recipitis. Ecquis enim Scripturas tradi-

dit vobis? quis iudicauit, essentnè Scripturæ, essentnè Canonicę? Absque Traditione hoc à vobis sciri non potuit. Nullus est enim in Scripturis sanctis locus, qui singulos Scripturarum libros enumeret. Qui verò litigiosi olim erant, vt Epistola ad Hebręos, Petri secunda, Ioannis secunda ac tertia, Iacobi, & Iudæ Epistolæ, ipsa etiam Apocalypsis, quo modo hanc sui suspicionem excusserunt? quo modo facti sunt sine dubitatione Canonici? Ab ipsis Scripturis non habetis, illos libros partem esse Scripturarũ. Vnde igitur? Omninò ab authoritate, iudicio, & Traditione Ecclesiæ. Quæ hęc autem insania, vt negetis ex Traditionibus Ecclesiæ metiendam, regendamq; nostram fidem, ex quibus ipsas quoque quæ fidei fundamenta continent, Scripturas metimini? Hoc ipsum nonne ex Traditione est, Euangelia Matthęi aut Marci, non supposititia esse; sed eadem quæ ab illis edita veterum temporum Ecclesia agnouit? Imò vnde, nisi ex Traditionibus, constat, quatuor Euangelia quę habemus esse legitima: Petri autem quod dicitur Euangelium, atque Thomæ, & aliquot præ-

prętereà libros Apostolorum nomine claros, spuria scripta esse, furtoq; in dignitatem tantorum nominum adoptata? Ecce vt vel recipiendæ Traditiones sunt; vel & abigendæ Scripturę, quas sola Traditionum fide agnoscitis.

Ne in solo hoc morer; In Scripturis vbi concessum ne obserues Sabbati diem? Illum tamen non obseruas. Dominicus dies illi successit. Vnde hoc tibi Sectarie? Non, inquam, à Scripturis. Vnde igitur? Non aliunde quàm à Traditione Ecclesiæ. Quidam isthic ex vestris miserrima subtilitate se torquent; Iussisse nempe Deum, vt ex diebus septem sanctus sit nobis vnus: nihil porrò referre vtrum Sabbatinus, an Dominicus, an alius dies; dummodo vnus ex septem. Id ex Caluini sententia; apud quem agitatum diu ferunt, de transferenda solemnitate Dominica, in *feriam quintam*. At hęc quàm vanæ temeritatis argumenta, atque consilia! Non refert, ais, quis dies; dummodò vnus ex septem. Imò maximè refert. Non enim Deus in Decalogo vnum ex septem tantùm, sed expressè septimum coli iussit. Et quis septimus esset,

esset, non reliquit Iudæorum arbitrio; sed prorsus ostendit, vel ipsis ferijs, quibus nec de cælo Manna cadebat, nec peribat pridiana. Licitumnè Iudæis ab ea institutione diuertere, vt neglecto illo die primam Sabbati colerent, qui nobis Dominicus dies, vel aliam vllam lucem? Ne hoc quidem dicitis. In concesso est, illum ipsum Deo authore diem, & Iudæis qui Aegypto excesserunt, & inde eorum posteris, fuisse colendum.

Si hanc igitur de obseruando Sabbato Dei legem ad ceremonias retuleris; scis legales ceremonias Agni sanguine esse deletas. *Cur tu cùm Christianus sis Iudaizas?* Sin *ad mores* præceptum hoc refers; cur id mutare ausus? cur aliter obseruas, quàm Deus instituit? Cur dies, quem disertè iussus es venerari, tibi est in profanis? cur ille qui sequitur, à laboribus tibi immunis? In Scripturis nusquam authoritatem reperies. Legimus Dominico die Ioanni reuelata mysteria. (Apocal.I.) sed non legimus Dominicum illum diem calcato Sabbato debere regnare. Legimus Paulum cum discipulis, *ad frangendum panem*, vna Sabbati con-

uenisse. sed non legimus illum diem, ex euersi Sabbati ruina creuisse. *Verte omnes te te in facies*. Cur Sabbatum negligas, cur Resurrectionis diem obserues, neutiquam habes, nisi ex Traditione & institutione Ecclesiæ. Cur porrò illum diem plerique Sectariorum, Sabbatum appellatis? Si celebratis quia Sabbatum; celebratis quia *cessauit ab opere suo Deus*. Celebrandum ergo Sabbatum, in quo cessauit, non dies Dominicus in quo incepit operari. Si celebratis, vt diem Resurrectione Christi dignatum; cur Sabbatum appellatis? Non cessauit hic Christus, sed fortissimè cum morte pugnauit. At, inquis, cessamus ab opere. Egregia verò causa! Quasi dictum in Scripturis Sabbatum, à quiete fidelium. Imò à cessatione Numinis ab Orbe condendo. (Exodi XX.) *Sex diebus operaberis, & facies omnia opera tua. Septimo autem die Sabbatum Domini tui est, &c. Sex enim diebus fecit Dominus cælum, & terram, & mare, & omnia quæ in eis sunt, & requieuit in die septimo, idcirco benedixit Dominus diei Sabbati, & sanctificauit eum.*

Qui

Qui autem hi ludi, vt Traditiones irrideas, & tamen obſerues? Ecce enim & aliā quam in commodum tuum vſurpas; ſuffocatorum nempe, & ſanguinis eſum; Quæ duo Chriſtianis vetita legimus non ſemel in Scripturis. Audi Apoſtolos loquentes Chriſtianis. (Act.XV.) *Viſum eſt Spiritui ſancto, & nobis, nihil vltra imponere vobis oneris quàm hæc neceſſaria; vt abſtineatis vos ab immolatis ſimulachrorum, & ſanguine, & ſuffocato, & fornicatione.* Et Cap.XXI. *De his autem qui crediderunt ex gentibus, nos ſcripſimus, iudicantes vt abſtineant ſe ab idolis, & ſanguine, & ſuffocato, & fornicatione.* Rem perpende. *Viſum eſt Spiritui ſancto*; viſum & Apoſtolis, *neceſſarium*, vt à ſuffocato, & ſanguine abſtinerent Chriſtiani. Hæc ſunt legis nouæ decreta, hęc verba Scripturarum; quibus ſe ſanctè teneri ſenſerunt primarum ætatum Chriſtiani. Nec magis abominata Iudæis ſuilla, quàm Chriſtianis hæ dapes. Vt enim in experimentum religionis his ſuilla, ita illis ex ſanguine eſca ab hoſtibus offerebatur; Et vtriſque mors potior conuiuio illo viſa. Inde Tertullia-

nus,Apologetico; *Ne animalium quidem sanguinem in epulis esculentis habemus*. Et mox ita Gentilibus. *Denique inter tentamenta Christianorum, botulos etiam cruore distentos admouetis; certissimi scilicet illicitum esse penes illos, per quod exorbitare eos vultis*. Audis hoc *illicitum* Christianis. Neque putes hos cibos edere non licuisse publicè; at licuisse priuatim. Ante Tertullianum (nempe Antonino Vero regnãte) Blandina Christi Martyr,vt crimen dilueret quo Christiani differebantur, quasi pueri carnibus epulari consueti, *Quomodo illi*,inquit,*liberos suos vorent,quibus ne licitũ quidem sit sanguinem animalium ratione carentium comedere?* Habes fusè in Epistola Lugdunensis & Viennensis Ecclesiarum, eodem æuo scripta ad Ecclesias Asiæ, Phrygiæque; quæ apud Eusebium descripta est, Lib.V. Hist. Cap.I. Neque intelligi potest,de publico esu; sed de priuato. Non enim dicebantur Christiani, pueros coram populo mactare, & his vesci; sed clàm, & priuatim inter se; Ergo & necessariò intelligenda Blandina, non licuisse Christianis, ne priuatim quidem animalium

lium sanguinem in cibis habere.

At, inquies, hęc ita obseruata nascente adhuc Ecclesia, vel gemente sub furijs Ethnicorum; Sed aliam rationem initam vbi adoleuit, & à malis respirauit. Nihil minus. Durauit sanctio illa etiam sub florente Ecclesia. Gangrense Concilium, Constantini Magni temporibus celebratum, ita habet Can. II. *Si quis eum qui carnem, præter sanguinem & idolothytum, & suffocatum, cum pietate, & fide comedit, condemnat, tanquam eò quòd ea vescatur spem non habeat, sit anathema.* En vt Patres carnium vsum in quosdam hæreticos asserturi, illa tamen excipiunt, *Sanguinem, idolothytum, suffocatum.* Habes & Leonis Philosophi, Imperatoris, sanctionem, aliquot postea seculis latam; qua sanguinis esus, tanquam res ex Apostolorum pręcepto illicita, castigatur. Ea inter Leonis Constitutiones quinquagesima octaua est. Et titulus, *Ne ex sanguine cibus conficiatur:* causa autem, quia ita *à præconibus gratiæ est constitutum.* Vocat deinde hunc cibum, *vetitum, detestandum, qui hominem contaminet;* ait, *diuino mandato*

prohibitũ. Atrocibus denique pœnis eos plecti vult, qui has dapes aut emerint, aut venales habuerint. Nimis multa. Historiæ expers sit, qui neget compluribus seculis sanguinem pro esu nefando fuisse Christianis. Cur tu ergo Protestans, cur tu Puritane, hoc vesceris? Omnino minori iniuria reuocassetis hanc legem, quam Quadragesimæ ieiunia sustulistis. Sed licentiæ scilicet, non disciplinæ studebatur.

Age, inquam, sint aliqui qui à sanguine & suffocato Christianorum gulam hodie putent arcendam; qui Scripturas consuetudini nostræ opponant; qui eas solas vestro more velint admitti. Quid vobis in eos argumenti? Proferetis verba Apostoli, qui I. Cor. VIII. & X. aliquo casu idolothyta edi permittit. At vobis reponetur, ne illic quidem verbum, de sanguine & suffocato esse: Sed & primos Christianos non ignorasse Pauli hæc verba; & nihil tamen minus ex prohibitione, quæ Apostolico Concilio est sancita, Act. XV. credidisse sanguinis, & suffocatorum esum esse illicitum; Ipsum quoque Lutherum, Libro de Concilijs, ita dispu-

tare,

tare, vt velit, vel non teneri nos decretis Conciliorum Ecclesiæ, vel teneri ad abstinentiam illam à suffocato, & sanguine.

Omnino cogemini vsu niti, consensuque, & traditione Ecclesiæ, ita Concilium Apostolicum exponentis, vt hæc sanctio ad rationem seculi lata, successores non teneat;& Ecclesiæ quidem illius, quæ Missam admittit; quæ Pontificem pro Capite habet, quæ imagines extruit, quę Purgatorium credit; quandoquidem illis demum seculis cœperunt Christiani sanguine vesci, quibus ex vestra confessione, iam Missa, iam Pontifex, iam imagines,iam de Purgatorio fides erat ea ipsa quæ hodie Romæ.

Necessaria ergo Traditio illa Ecclesiæ; necessarium præter Scripturas aliquid quo asseras tuam fidem. Num tu autem tantus in Ecclesia Imperator, vt dicas, volo in illa, aut illa re Traditiones valere; in cęteris nolo? Imò, Sectarie, legitimæ Traditiones, vel omnes admittendę, vel omnes respuendæ; Legitimæ,inquam. Nam & has solas admittimus. Quæ illæ sint quæris?quæ in Ecclesia,vel expressis legibus, vel irreprehenso

Pastorum, Ouiumque consensu inualuerunt; siue illæ à Christo institutæ, siue ab Apostolis, siue à succedentium seculorum Ecclesia. Quæ à Christo sunt, diuinas appellamus; Apostolicas, quæ ab Apostolis; Ecclesiasticas quæ ab ipsa Ecclesia, in instituendis moribus, exponendisvè Scripturis, nunquam errante.

Facessat igitur vestra responsio, vbi argumentis vrgemini ab antiquo vsu Patrum, & Traditione Ecclesiæ, ideò vos ad illa non teneri, quòd non legantur in scripto Dei verbo. Nam & Traditiones in Scripturis commendantur; & vos multa seruatis, quæ in Scripturis neutiquam insunt; & omni denique æuo receptum est, vt Traditionum quæ Ecclesiæ placuissent, summa vis esset, & cui parere Christiani tenerentur. Irenæus, Antiquissimus Doctor & Martyr, Lib. III. Cap. IV. *Et si de aliqua modica quæstione disceptatio esset, nonne oportet in antiquissimas recurrere Ecclesias, in quibus Apostoli conuersati sunt, & ab eis de præsenti quæstione sumere quod certum, & re liquidum est? Quid autem si neque Apostoli Scripturas quidem tradidissent, nonne oportebat*

bat ordinem ſequi Traditionis, quem tradiderunt ij, quibus committebant Eccleſias? Cui ordinationi aſſentiunt multæ gentes Barbarorum, eorum qui in Chriſtum credunt, ſine charactere, vel atramento ſcriptam habentes per Spiritum in cordibus ſuis ſalutem, & veterem Traditionem diligenter cuſtodientes. Tertullianus, De corona Militis. *His igitur exemplis renunciatum erit, poſſe etiam non ſcriptam Traditionem in obſeruatione defendi, confirmatam conſuetudine idonea teſte probatæ tunc Traditionis, ex perſeuerantia obſeruationis.* Et Hieronymus ad Lucinium, Epiſt. XXVIII. vult, vt quiſque *præcepta maiorum leges Apoſtolicas arbitretur.* Omitto in eam rem cęteros Patres; quos iam antè eruditiſſimorum virorum diligentia collegit.

Nos itaque vtrique Dei verbo honorem habemus; vos autem ſcriptum tantùm laboratis agnoſcere; Re ipſa tam ſcriptum, quàm non ſcriptum miro facinore ex parte ſequimini, ex parte damnatis. Nam & totos ex Scripturis libros eraditis; & Traditiones è contrario quas videmini omnes abigere, haud paucas ſeruauiſtis.

uiſtis. Quid dicam, iam vel ipſas apud vos Scripturas ita vileſcere, vt veſtris Traditionibus, Catechiſmis, Confeſſionibus, quas excuditis, editiſque, ſecundæ ſint? Teſtis mihi veſter Adolphus Venator, Miniſter Alcmariẽſis, Tractatu, De Pręcipuis Doctrinæ controuerſijs, Pag. CLXXIV. *Vera, optima, certiſſima, & perfectiſſima norma totius fidei Chriſtianæ eſt Confeſſio Belgica, & Catechiſmus Heidelbergenſis.* Et Pag. CLXXV. *Ex verbo Dei non poteſt vera doctrina purè intelligi; ſed ſolùm ex confeſſione & Catechiſmo.* Et, *Verbum Dei non eſt Chriſtianis tam neceſſarium ac vtile, quàm Confeſſio & Catechiſmus.* Et, *Vbi Confeſſio & Catechiſmus eſt, non egemus verbo Dei.* Deniqne, *Authores Confeſſionis & Catechiſmi fuerunt prudentiores & fideliores pro Eccleſia, quàm Apoſtoli & Euangeliſtæ.* O ſacrilegum os! O Sectas indignas, quæ facilibus animis, aut educationis vitio illas amàntibus, tam apertis erroribus, tam noxijs, & Domino ad extremum non inultis, imponant!

IOAN-

IOANNIS BARCLAII

Paræneſis ad Sectarios.

LIBER II.

CAP. I.

De Sacramentis ; Et ſpeciatim, de Sacramento Pœnitentiæ.



E vlla Eccleſiæ pignora Sectarijs inuiolata eſſent, Sacramenta omnia,& ſingula vario bello adorſi ſunt Nobis , quoniam potius cupidas vermentes, quàm diſſerendi dulcedine pertinaces alloquimur, breuiſſimè pauca quædam , quæ in aperto ſunt , perſtrinxiſſe ſuffecerit . Satis enim ſi aduertant Sectarij ſe errare , & quæ

quæ via ad caulas sit, qua vna se possint ab errore recipere.

De numero igitur Sacramentorum controuersiam faciunt. Septem numerat Ecclesia; illi duntaxat duo, Eucharistiam & Baptismum. Peto autem quid per Sacramentum intelligant; An rem, ac veluti tesseram, qua à non Christiano distinguitur Christianus: An aliquid quo necessario vti debeat Christianus ad salutem: An denique instrumenta quædam externa, & visibilia signa à Christo instituta, per quæ nobis inuisibilem suam gratiam Deus infundat? Si tesseram, qua Christiani distinguantur à cæteris; ergo & fides in Sacramentis numeranda, & spes, & virtutes cæteræ quotquot Christianis singulares: & si externa quærunt, ire ad fidelium cœtus, omne carnium genus, contra Iudæorum morem, edere; Christi nomen suppliciter venerari, Trinitatem publicè adorare; quicquid denique Christiani præter cæteros faciunt, erit nobis Sacramentum. Ita Sacramenta non duo, non septem, sed plurima. Sin aliquid intelligis necessarium Christiano ad salutem; Baptismum in sacramentis, Caluini-

sta,

ſta, quid numeras? cùm ex tua ſententia, Chriſtianorum liberi, ſi ante baptiſmum deceſſerint, nihilo ſecius cælo fruantur. Hinc multorũ Miniſtrorum crudelitas, nõ alio quàm Dominico die, idq́; publicè, aqua ſalutari infantes intingere. Interea ſi morbo ſoluuntur, parui rem ducunt. Quod quid eſt aliud, quàm ſuperfluum, certè non neceſſarium Baptiſmum aſſerere? quàm de Sacramento ceremoniam facere? Scio riſiſſe ex Caluiniſtarum grege aliquot, cum relatum à Baptiſmo infantem redditura matri obſtetrix, en iam, diceret, recipe Chriſtianum. Et ò te fœminam ſimplicem illi dixere; cur nunc magis Chriſti ſit quàm cùm iſthinc auferretur ad templum? Euchariſtia etiam nec facit Chriſtianum, nec omnibus neceſſaria ad ſalutem. Nam nec ea infantes paſcuntur, nec impotes mentis; imò nec, vt plurimùm, apud Caluiniſtas ægroti, quos prohibet à cœtu publico valetudo. Ergo nihil iſtorum neceſſarium Caluiniſtis ad vitam æternam, id eſt, nullum illis eſt Sacramentum, ſi huic Sacramentorum definitioni adhęreas.

Si denique Sacramentum exponas, *ſi-*

gnum

gnum visibile inuisibilis gratiæ, à Christo institutum, Catholica quidem notio erit; sed vide an Eucharistiæ tantùm, Baptismoq; conueniat. Cur non enim & remissio peccatorum à Sacerdote concessa tibi sit Sacramentum? Signum visibile est ipsa actio Sacerdotis; & gratiam inde infundi disertissimè ex Domini verbis habes. Matth. XVIII. *Amen dico vobis, quæcunque alligaueritis super terram, erunt ligata & in cælo: & quæcunque solueritis super terram, erunt soluta & in cælo.* Et Ioan. XX. *Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis retenta sunt.* Confirmationem etiam multi ex vestris non improbant. Rex Serenissimus Magnæ Britanniæ, in familiari quadam Epistola ad Molinæum Parisinæ synagogæ ministrum, ei succensuit, quòd Confirmationi malè dixisset, quòd Antichristi notis illam annumerasset. Certè enim, inquit Rex, Liberi quoque mei confirmatione signati sunt: neque his velim credi inustum Antichristi characterem. At quò illa *confirmatio*? Frustra illa, imò & falsa, nisi per eam anima confir-

firmatur; nec confirmari poteſt, niſi Spiritus Dei gratia confirmatis accedat: Si accedit; ergo eſt Sacramentum. Nam & illic eſt ſignum externum, & inuiſibilis gratia inde accipitur.

Iam de Extrema vnctione, de Ordine, de Matrimonio, cur potius vobis, quàm Eccleſiæ Catholicæ ſit credendum? Docet, per hæc myſteria conferri, ac augeri his gratiam, qui ad illa ritè acceſſerint; Scripturæ loca habet quæ in hunc ſenſum exponat, habet multorum ſeculorum authoritatem; viros ingentes, ſeu integritatem, ſeu eruditionem ſpectes; ſuum denique in decernendo pondus. Vos porrò nec ex Scripturis verbum habetis, quo contrarium conſtet; nempe nec Matrimonio, nec Sacerdotio, nec Extrema vnctione, maiorem Dei gratiam merentibus addi. Reſtat igitur, non vt Scripturis hanc Eccleſiæ ſententiã oppugnetis (nam nullæ ſunt quibus hoc fiat) ſed tantùm vt dicatis, nec Scripturis ritè nos niti; & de verbis diſceptetis, quibus docet Eccleſia ſtabiliri iſta omnia Sacramẽta, negetisq; ex illis hæc aſtrui. Certum, inquam, vos nullas in iſta re pro vobis habere Scriptu-

ras; & tantùm laborare, vt probetis Ecclesiæ quoque nostræ sententiam non niti Scripturis.

Quis autem tantæ imperitiæ, atque superbiæ, qui vobis modò natis maiorem exponendarum Scripturarum authoritatem ascripserit, quàm vetustæ Ecclesiæ, cuius alumni fuerunt, innumeri sanctissimæ vitæ, clarissimæ famæ viri; quos inficias ipsi non itis, cum Romana Ecclesia consensisse? Vtinam perpendas, Sectarie, sed serio, nec vi consuetudinis in partes abreptus; nullas Scripturas esse, quæ Sacramenta ad Baptismum & Euchariſtiam reuocent, nullas quæ dicant cætera quibus hũc honorem Romana habet Ecclesia, non esse Sacramenta. Neque te aliter hìc pugnare, quàm quo modo omnis generis hæreses possint; nempe negando ita exponendas esse Scripturas, vt exponit Ecclesia.

SED sunt duo potissimùm Sacramenta, quæ hoc æuo lacessistis; Pœnitentiam, & Eucharistiam. Pœnitentiam ex Sacramentis omnino deletis; Eucharistiæ ita detrahitis; vt plerique iam vestrum in contumeliam Sacramentarij appellentur.

Ne-

Neque mirer, in *Pœnitentiæ Sacramentalis* excidium Miniſtros illos veſtros incũbere, qui vos de prædeſtinatione, de ſalute, de peccatorum venia, ſecuros eſſe iubent; cui conſequitur eiuſmodi Pœnitentiam eſſe ſuperfluam. Ergo & in illius infamiam ſpargi placuit maledicta, quæ rem ſanctiſſimam apud ignaros proſcriberent. Diræ hæ contumeliæ, multæ, vulgatæ; ſed ſibi non conſtantes. *Et non erat conueniens teſtimonium illorum*. Nempe iactarunt, licentiam, aditumq́; peccandi, huiuſmodi Sacramento Catholicis dari. Quæ enim facilior (inquiunt) ingentibus facinoribus venia, quàm vt culpa ſecreti Sacerdotis auribus committatur? tantillo remedio peccare quis abnuat? Ita voluptates, ita odia, ita omnem peccandi dulcedinem benè emi inclamant: Etiam futurorum ſcelerum veniam dari. Rurſus contraria his dicunt, maximeq́; Caluinus. Nihil tetrius, aut acerbius eiuſmodi pœnitentia eſſe: hac torqueri, hac lancinari miſeros, dum ad numerum peccata coguntur reuocare, dum ipſas cogitationes excutere, dum anxia memoria à ſe vitæ rationem ſcru-

pulosè exigere. Facilis ad hæc maledicta responsio.

Tantùm abest, Sectarie, illex sit ad peccandum sancta Confessio, vt non alio magis fræno plerique auocentur à scelere. Neque enim illum credit Ecclesia, quem nō ex animo delicti pœniteat, inde iuuari. Quicquid itaque ad internam, veramq́; pœnitentiam, ipsi exigitis, & nos quoque exigimus: nempe de peccato dolorem, & in posterum emendationis propositum: Ea, inquam, in nostris exigimus; sed & aliquid magis; nempe vt Pœnitens Sacerdoti se sistat, culpam aperiat, indulgentiam cuius à Deo potestas Sacerdoti commissa est, petat. Qua igitur fronte iactetis, Sacramenti istius facilitate animos ad peccandum emolliri, cùm à peccatore eadem quæ vos, & syncerius, & plura desideret? Nisi non grande putabitis, verecundam virginem, superbum hominem, latronem non suspectum, prodere consciam mentem, & sponte effari quod in equuleo fortè negarent.

Fraudis autem inuerecundæ est, persuadere vulgo, de futuris sceleribus *absolutiònem* apud nos dari; vt venia crimen

men prȩuertat, & sis prius in integrum restitutus, quàm de statu decideris. Absit ab Ecclesia tam feralis ineptia. Nulla apud nos anus tam angusti iudicij, mentisq; consumptæ, cui hoc sit persuasum. Quo pacto à destinatis, & quæ in voto adhuc sunt, flagitijs Sacerdos absoluat, quem asserimus, ac publicè profitemur, ne à præteritis quidem posse absoluere, nisi peccator de illis anteactis vera pœnitentia indoleat, nisi quæ fecit, esse infecta ex animo velit?

Medicina igitur peccatori, non peccandi illecebra, Pœnitentiæ Sacramentum. Sed nec illius atrocitatis medicina quam Caluinus expressis ad inuidiam verbis finxit. Non torquendis enim ingenijs, sed leuandis, est à Deo comparata. Nec cum Deo agimus tanquam soluendo pares, aut tanquam importunus creditor Deus sit, & in insidijs, vnde in miseros capto tempore toruus insiliat. Cum bonis benè agier. Satis est Pœnitenti, ita conscientiæ rationem inijsse, vt bonus paterfamilias solet in domesticæ rei cura versari. Post maturam diligentiam, sed non anxiam illam, si quæ me-

moriam peccata effugerint (& interdum multa effugiunt) eodem Sacramento, eadem misericordia Dei donantur, qua & illa de quibus meminimus. Contumacia enim, negligensq; contemptus, hìc sacrilegij crimen est, non humana fragilitas, cui sanandæ non damnandæ, quæsitum remedium. Sic vtrinque vana, Sectarij, vestra conuicia. Neque enim Pœnitentiæ Sacramentum, lubrici instar habet vnde in peccandi consuetudinem demittamur: Rursusq; non ex eo cruciatus animis inest, quem, vt à populo timeatur, effingitis.

Potestatem verò à Domino Sacerdotibus esse concessam, qua gratiam criminum faciant ad Pœnitentiam sese sanctè vertentibus; idq; non semel in modum baptismatis, sed pluries vni, ex Scripturis liquidò constat; *quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*; & antiquæ Ecclesiæ vsu, quæ Nouatianis anathema dixit, quòd flagitia post Baptismum perpetrata nollent Sacerdotum ministerio, & authoritate remitti. Socrates refert, Lib.I. Cap.VII. in Nicæno Concilio Acesium Nouatianæ sectæ Episcopum

Impe-

Imperatori Constantino dixisse, se cum Nicæni Concilij Patribus communicare nolle, quòd contra eorum sententiam crederet, eis qui se post Baptismum *mortali peccato* polluissent, *remissionis spem non à Sacerdotibus, sed à Deo, qui & potest, & authoritatem habet peccata remittendi, expectandam*. Animaduertis, Sectarie? Cum Nicæni Concilij Patribus, primi illius, quo damnatus Arius, quo asserta Christi diuinitas, non communicauit Acesius, quia negabat, post Baptismum *remissionem peccatorum à Sacerdote sperandam*. Quod quid est aliud, quàm credidisse contrarium illos Patres, nempe *remissionem pecccatorum à Sacerdote esse sperandam?* Et tu hodie Pœnitentiæ Sacramentum, vt rem nouam, vt commentum hominum, vt aliquid à veteri disciplina alienum, nouus ipse, & vetustatis ignarus contempseris? Ac quis credat Sacerdotes *remissionem peccati* concessisse, nisi fatente reo crimen, & veniam efflagitante? Sacerdos absoluisset inuitos? absoluisset à scelere quod patratum esse nesciret? absoluisset quos aut peccasse ignoraret, aut à peccato resiluisse? Ab-

ſurdum quid; mentiumq́; commentum perire volentium. Nihil ergo nunc ſancta Eccleſia, niſi quod puriſſimo, & antiquiſſimo illo æuo, non dico celebratum, ſed iam antiquum.

Diceres Deum liquidis miraculis iſtud Sacramentum aſſerere. Nam cui ſupra rerum humanarum conditionem non ſit, inter tot Sacerdotes, quorũ aliqui leues, ſcelerati aliqui, nonnulli facta ad vos ſeceſſione Apoſtatæ, durare inuiolatam illius maieſtatem; vt quæ priuatorum peccata acceperint, aut nunquam, aut rarò, in vulgus effundant; vix vllum hinc ſcandalum, vllæ rixæ, vlla infamia? Scilicet impiorum Sacerdotum, idem Deus cohibet linguas, vt quę à Pœnitentibus acceperint apud ſe contineant, qui & Pœnitentium linguas, vt Sacerdotibus pudorem aperiant, laxat.





CAP.



CAP. II.

De Sacrosancto Eucharistiæ Sacramento.

DE Eucharistia nunc paucis agendum; si de tanta re pauca proloqui fas est. Tu Domine, nec relinque nos, quibus Te reliquisti; & Sectarijs oculos redde, vt agnoscere audeant tuum munus; quod tantum est, vt illud non supra se modò, sed & supra Te credant. Nam vt sæpe Iudæos nihil magis à Christiana fide deterret, quàm quòd in ea omnino credendũ sit, Deum viuum, Deum Abraham, hominem factum, vixisse mortalem, in cruce occubuisse: Ita Sectariorum multos nihil magis offendit istius Sacramenti præstantia; dum non sibi persuadeant in hanc benignitatem demisisse se Christum, vt Sacerdotum manu teneri, & peccatorũ ore sumi voluerit

idem hoc corpus, quod olim in cruce distentum, *nunc ad dexteram Patris sedet in gloria.*

Cæterùm nihil in vos præiudicij grauioris, Sectarij, quàm Christianorũ tunc consensus in Eucharistiæ fide, cùm hoc seculo nasci cœpistis, ac deinde grandis inter vos in ipso errore dissensio. An verisimile nullam tunc in Orbe Ecclesiam de Eucharistia ritè sensisse? aut putandus Spiritus veritatis esse in vobis, qui peius inter vos, quàm nobiscum, de tanta re litigatis? Omnibus, inquam, toto Orbe Christianis in ista re idem tunc sensus, Latinis, Græcis, Armenis, Abissinis, Moscouitis. (Nam paucissimi in Bohemia Hussitæ vix pro vllis sint: & vt hi non in nostris, ita neque in vestris. Neque enim cum illis vlli vestrum omni ex parte in Eucharistiæ fide consentiunt.) Conueniebant omnes in eam sententiam (vt & hodie quoque conueniunt) sub speciebus panis ac vini delitere realiter Christi corpus, ac sanguinem; nihil panis, nihil vini superesse; adorandam itaque Eucharistiam, quandoquidem nulla est in Eucharistia substantia nisi ipsemet Christus.

Nihil

Nihil vos tamen, Sectarij, Christianorum ille consensus mouit. Resilijstis ab omnibus Christianis, id est, voluistis esse hæretici. Neque institistis vnicam viam. Vbi ab Ecclesiæ calle descitum, *iuistis in adinuentionibus vestris:* vt scire cupienti, quid de Eucharistia sentiatis, sit longa primùm historia, ac deinde Oedipo opus. Tam multiplex quippe inter vos in hac parte dissensio, vt ad quadraginta, ampliusq; sententiæ numerentur, omnino diuersæ, omnino contrariæ. Ac præterea quid singulæ apud vos sectę sentiant, non sat exponitis, verius dixerim, non sat scitis. Qui ex vobis Lutherum sunt sequuti, fatentur illic realiter contineri Domini corpus; sed non existimant panem inde recedere. Hugonotti, & Protestantes in Anglia, cæterique Caluinistæ, nihil illic præter panem, esse contendunt. quippe sedere à dextris Patris Christum, neque in varijs locis posse consistere. Alij alia sentiunt. Sed hæ duæ in vobis sententiæ potissimùm eminent. Ecce autem vtraque quàm absurda.

Lutherani dum fatentur Christi corpus *adesse realiter*, negant tamen adoran-

randum. Et ò egregiam rationem! quia, inquiunt, Christus non hoc Sacramentum instituit, vt adoraretur, sed vt pasceret animas nostras. Quidni & dixerint; Reges & Principes venationi operam dare animi causa, non vt colantur à ciuibus: ergo illos errare, qui Regi venanti obuiam facti, eum salutauerint quo modo par est Regem? Christus in cruce erat, *vt saluas faceret animas multorum*, ferretq; opprobria quæ nobis debebantur: non vt adoraretur. An si illic adfuisses, Lutherane, putasses esse crimen, in terram procumbere, pendentem adorare? Quæ amentia, vt Christum, vbicunque est, non adores, qui vbicunque est, Deus est, vitæ tuæ arbiter, animæ iudex?

Sed hæc Lutherana sententia, quæ in Eucharistia panem agnoscit, tam Scripturis exploditur, quàm doctrina antiquæ Ecclesiæ. Nam si illic & panis, & Christi corpus esset, non diceret Christus, *Hoc est corpus meum*; sed, Hìc est corpus meum; Nec diceret, *panis quem ego dabo, caro mea est*; sed, in pane quem ego dabo caro mea est. Et nisi nobiscum credidis-

didiſſet Apoſtolorum æuo Eccleſia, ab Euchariſtia ſubſtantiam panis abeſſe, non ſcripſiſſet S.Iuſtinus Martyr, Euchariſtiam poſt conſecrationis verba, *eſſe illius incarnati Ieſu carnem & ſanguinem*; ſed euchariſtico pani ac vino poſt conſecrationem accedere carnem illam & ſanguinem: Non ſcripſiſſet & Cyrillus Hieroſolymitanus, *panem hunc qui videtur à nobis, non eſſe panem, etiamſi guſtus panem eſſe ſentiat; ſed eſſe corpus Chriſti*. quin potius docuiſſet, panem illum qui videtur, eſſe panem; nec in eo guſtum falli; ſed cum pane coniunctum corpus Chriſti.

Nec ſapientius Caluiniſtæ. Non quidem adeſſe in Sacramento realiter Chriſti corpus; nos tamen illius realiter eſſe participes. Inepta adeò, & ſemet euertens opinio, vt nec ipſi ſe capiant. Age enim, Sectarie; poteſne realiter accipere Chriſti corpus, niſi Chriſtus realiter adſit? Atqui vis eum ſemper in cælo verſari; nec in pluribus ſimul locis poſſe conſiſtere. Cùm tu ergo in terris tantùm, ille tantùm in cælo, quomodo realiter corpus ipſius ad te perueniat? Ac cùm momento eo-

to eodem tu Londini, iste Geneuæ communicet, qua arte effeceris, vt realiter Christi corpore vterque pascamini, neque tamen realiter duobus simul locis Christus esse potuerit?

Dixerisne animam tuam peruolare fide in cælum: illic verè, ac realiter saginari sancto hoc cibo? Hoc verò ad argumentum nihil. Nam vt fide, vt cogitatione, vt voluntate, superes astra, & in medio cælo verseris; tamen *realiter* hæres in terra. Neque vlla tui pars, id est, neque animus, neque corpus, *realiter* in cælo est, vt illic alimentum accipiat. Num si Romam, si Hierosolymam defixa cogitatione ad animum retuleris, realiter Romæ, realiter Hierosolymis fuisse dicendus es? Restat ergo ostendas, qui fieri possit, vt anima tua quæ realiter non ascendit in cælum, realiter Christi carne vescatur, nisi Christus verè, ac realiter adsit in terris, & quidem vno tempore multis simul in locis, cùm eodem sæpe momento multi vestrum per Galliam, Angliamq; communicent.

At referes, nescire te modum; pasci te tamen scire. Itane? si nescis quo modo

illa

illa fiant, nec ſcis certè num is modus non ſit tranſubſtantiatio: Cur igitur tanta in tranſubſtantiationem audacia, tanto furore agis? Deinde vt neſcias modum; at ſaltem ſcis eiuſmodi modum eſſe, qui te faciat non cogitatione tantùm ac fide, ſed reipſa, corpori Chriſti contiguum, vel fatendum te non reipſa corpus Chriſti accipere.

Ais enim, te manducare *per fidem*, Dominicam carnem. Quid autem his verbis ſignificas? An fide te tenere ac credere, virtutes à corpore Chriſti, qui in cælis eſt animæ tuæ illabi, vt ſic quodãmodo cum illo vniaris? Atqui hoc non eſt, Sectarie, realiter Chriſti corpus accipere; ſed, vt ſummum, imaginariè. Nam illa vis, illæq; virtutes, quas ais à Chriſto in te profluere, non ſunt vtique corpus Chriſti: nihil autem aliud realiter te credis accipere. Sed nec virtutes, opinor, has manducas. Cur igitur quò eludatis ſententias Patrum, qui teſtantur *re ipſa Chriſti carnem ac ſanguinem ſumi*, hac inani fraude vtimini, dicitisq; & vos idem quoque ſentire? Sin dicis, te *per fidem* apprehendere, ac credere Corpus

Chri-

Christi tibi realiter communicari; refero, fidem illam, vel te iudice, falsam esse, atque ridiculam. quandoquidem tibi rem quæ non est persuadet; cùm ex tua sententia non alibi realiter quam in cælo sit Domini corpus, tu autem non alibi realiter quàm in terra.

Sed quoniam ad Scripturas prouocare soletis, en illas audiamus. Apud Matthæum est Cap. XXVI. *Hoc est corpus meum. Hic est sanguis meus.* Apud Marcum Cap.XIV. *Hoc est corpus meum. Hic est sanguis meus.* Apud Lucam Cap.XXII. *Hoc est corpus meum. Hic est calix nouum testamentum in sanguine meo.* Apud Ioannem Cap.VI. *Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Paulus verò. I.Corinth.XI. indignè ad Eucharistiam accedentem, pronunciat *reum corporis ac sanguinis Domini.* En verba aperta, testimonia non perplexa, non semel repetita. Quibus apertissimè profligati, ad expositionem nempe confugitis; tanquam vestri iudicij, vestræ authoritatis sit, vbi libebit, nunc ex Scripturæ verbis absque inter-

prete

prete de lite decernere. (Sæpe enim ſi aliquid arridere vobis viſum, in verbis hæretis, nihil vultis exponi; proclamatis in verbo Dei ſtandum.) Nunc ad explicationem prouocare, & illam quidem veſtram.

Sed ecce; quid nobis obijcitis? Argumenta, inquitis, ex Scripturis. Primùm, quòd Euchariſtia interdum in Scripturis appelletur *panis, & vinum*. Deinde quòd dixerit Chriſtus, Ioan. VI. *Spiritus eſt qui viuificat, caro non prodeſt quicquam. Verba quæ ego locutus ſum vobis ſpiritus & vita ſunt*. Denique quòd Chriſtus ſit ad dexteram Patris, inde venturus iudicare viuos & mortuos. At refero obſcuriora illa eſſe, quàm verba quæ ex illis vultis exponi; nempe, *Hoc eſt corpus meum. Caro mea verè eſt cibus*. Quod hoc autem Philoſophiæ genus, per obſcurius obſcurum exponere: aut verius, rei apertæ ſenſum ex obſcura velle colligere? Quid verò ſi dicamus, hæc quæ obijcitis loca, per ea quæ retulimus exponenda? quid ſi negamus veſtrum potius eſſe quàm noſtrum illa exponere? Dubijs argumentis agitis, & in

vos ruituris. Neque operosum paucis singula diluisse.

In Scripturis (dicitis) appellatur Eucharistia panis ac vinum. Ergo Scripturæ in Eucharistia agnoscunt verè panem ac vinum. Age, Sectarie, & eo argumento multò in nos pressius ita decerne. Catholici sæpe Eucharistiam inter sermones, inter preces, panem appellant. ergo credunt verum jllic panem esse; & non tantùm Domini corpus. Nonne eadem ratio; nonne vis eadem argumenti? Num potius efficietis Scripturas, cùm Eucharistiam nomine panis ac vini designant, verum in ea panem aut vinũ asserere; quàm nos Cathoicos, cùm illam ijsdem nominibus appellamus?

Liceat igitur hoc ipsum argumentum in vos aptare. In Catholica Ecclesia sæpe Eucharistiam, panem ac vinum appellamus; neque tamen credimus vllam panis, aut vini substantiam illic esse: Ergo ex eo quòd Scripturæ ijsdem vtantur nominibus, non colligi potest, eas in Eucharistia verum panem, aut vinum agnoscere. Pone præiudicium factionis, Sectarie: quo argumento nos petebas,

num

num non æquiori iure cecideris? Nam quod sæpe panem appellemus, aut vinũ, ita familiare inter nos viuentibus, vt sit inuerecũdiæ id negare,& nescire inscitiæ. Quoties huius panis non tantummodò esum, sed effectum concedi postulamus? quoties vt is panis non in mortis,sed gloriæ pignus, nobis sit, à Deo Patre exposcimus? Sed hæc omnia, per similitudines, per figuras: Quæ locutionum genera nec ipsi negatis in Scripturis esse frequentia. Ita Bernardus (quem nostrarum partium esse, nisi ex inuerecundis nemo negauerit.) Eucharistiam panem appellat. Serm.I.Dominicæ VI.post Pentecosten. qui panem in diuersas species distribuens. *Porro*, inquit, *septimus panis est Eucharistia, quoniam panis inquit quem ego do, caro mea est pro mundi vita.* Panem igitur cũ Scripturis nominamus; quòd vt ex pane animalis homo viuit, ita ex Eucharistia spiritualis (Quo symbolo ex pane ac vino Eucharistiã confici Christus iussit: & plurimi Patrum, per *panem nostrum quotidianum*, *aut supersubstantialem*, quem petere edocemur, hoc cæleste alimentum intelligunt.) Tum etiam

ob figuram ipſam panis:& maximè, quòd antea panis fuit. Sæpe enim quod iam eſt, ex eo quod fuit appellamus. Et quoties iam à noſtrarum partium viris, exemplum audiſtis virgæ Aaron (Exod. VII.) quæ verſa in colubrum certè virga non erat: alioqui faſcinatos à Deo Pharaonis oculos diceres, non vero miraculo de ſua Maieſtate admonitos; tunc tamen dicitur virga. Nimirum, quia ex virga mutata in ſerpentem: *proiecerunt q; ſinguli virgas ſuas, quæ verſæ ſunt in dracones; ſed deuorauit virga Aaron virgas eorum.* Sed ne multa in fragile argumentum. Scriptura Euchariſtiam panem appellat. Eſto. Idem Patres antiqui ſæpe fecere; idem & facimus. Cur igitur cum quibus nos loquimur, credamur non ſentire?

Neque validiùs in nos telum expediũt à Domini verbis: *Spiritus eſt qui viuificat, caro non prodeſt quicquam.* Nam ſi ſimpliciter velint intelligi, *carnem Chriſti nil prodeſſe*; quæram ab ipſis, cur igitur dicant in Euchariſtia à ſeſumi Domini corpus? imò cur dixerit Chriſtus: *Niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis*

vitam

vitam in vobis? Sibine repugnantem autumant Christum? An negent semper in Ecclesia fuisse receptum, *Christi carnem prodesse sumentibus*? Omnino cogentur distinguere *de modo* quo sumpta Domini caro prosit, *& de modo* quo non prosit: Nempe Capharnaitas qui Christum audiebant, finxisse animis pinguem aliquam, indignamq; rationem, & omnino carnalem, qua is se manducandum assereret. Ideoq; in hunc sensum loquutum esse Christum; Non prodest caro sic sumpta, vt intra vos cogitatis. Altiori, magisq; spirituali quàm creditis ratione me tradam, & à vobis sumptus in cibum *viuificabo animas vestras*. Ita de modo sumptionis, non de ipsa simpliciter sumptione, dixit Christus, *caro nil prodest*. Nunc autem en ô vestrum scilicet argumentum. Dicit Christus carnem hoc modo sumptam quem Capharnaitæ sibi fingebant, neutiquam profuturam: Ergo non proderit eo modo percepta quem Catholici volunt. Atqui, probandũ antè, Sectarie, nos eadem sentire quæ Capharnaitæ sensere, nos spiritum *qui viuificat* nolle audire. Porrò vtrumque falsum.

Capharnaitæ nil altius cogitabant (vt ex Scripturis conſtat) quàm Chriſtum vt alij cibi eduntur, ita Corpus promittere; vt in partes ſcinderetur, vt ſaporis carnei eſſet, vt ſumptum deficeret. Nos, *ſpirituali, & viuificanti ratione* ſentimus, verè quidem atque realiter, ſed ſpirituali & incomprehenſibili modo, in Euchariſtia Chriſtum adeſſe, ſumi à nobis totum, inuiolatum, nunquam deficientem. Sic vtrinque conſentient Domini verba, tam illa quibus docet, *Carnem ſuam verè in cibum dari*; quàm alia quibus oſtendit, ſi rem carnaliter cum Capharnaitis intelligas, *carnem omnino non prodeſſe*. Vos autē ſi negatis vllo modo prodeſſe *Domini carnē*, in hæc verba pugnabitis, *Niſi manducaueritis carnē, &c.* Sin aliquo modo, ſed non Capharnaitico illo, ſumi carnem dicitis & prodeſſe: concedemus hoc quidē, ſed & addemus in noſtra Eccleſia eſſe ſanctum hunc modum. Nec quid in cōtrarium iſtæ Scripturæ, aut aliæ vllæ habent.

Aitis denique crebrò Scripturas aſſerere, Chriſtum in cælis eſſe, ac fore, donec in vltimo Mundi actu, formidabili Maieſtate adueniat. Ergo non eſſe in terris, in Eu-

in Euchariſtia, in manibus Sacerdotum. Expedita reſponſio. Chriſtus in cælo eſt, atque erit, magna illa & viſibili maieſtate, vſque ad conſummationem ſeculi. Nõ videtur à nobis publicè illo ſplendore, ac ne verſatur quidem inter nos obnoxius officijs, quæ reuera corpori proſint. qualia olim vnguento diffuſo Magdalena exhibuit, quorumq; reſpectu Dominus dixit: ***Pauperes ſemper habebitis vobiſcum; me autem non ſemper habebitis.*** Non de cælo igitur antè deſcendet in ***gloria maieſtatis***, quàm omnium ſeculorum hominibus ad iudicium conuocatis. Sed intereſt ſæpenumero rebus noſtris alia ſpecie, alio cultu, pompa minore; adeſt, inquam, ſæpe nobis in terris, ipſe, verè, realiter. Paulo Damaſcum eunti in via apparuit, in via loquutus eſt. Act. IX. Ita Ananias ad Paulum: ***Dominus miſit me. Ieſus, qui apparuit tibi in via qua veniebas.*** Et Barnabas narrauit Apoſtolis, ***quomodo*** Paulus ***in via vidiſſet Dominũ, & quia loquutus eſt ei.*** Et Act. XXIII. ***Sequenti autem nocte, aſſiſtens ei Dominus, ait: Conſtans eſto: ſicut enim teſtificatus es de me in Ieruſalẽ, ſic te oportet Ro-***

mæ testificari. Denique Act. XXVI. *Ego sum Iesus, quem tu persequeris. Sed exurge, & sta super pedes tuos: ad hoc enim apparui tibi, vt constituam te ministrum, & testem eorum quæ vidisti, & eorum quibus apparebo tibi*. Neque Angelum dicas, induisse speciem Christi, vt Paulo appareret. Nam vt prætercam in Apostolorum Actibus signatè distingui, quando Christus, aut Angelus, Paulo *appareat*. Dubitationem ipse Paulus exemit. I. Cor. XV. vbi Christi resurrectionem Corinthijs probaturus, ait eum post resurrectionem visum Apostolis, atque discipulis. *Nouissimè autem omnium*, inquit, *tanquam abortiuo visus est & mihi*. At certum est visum hunc Paulo aliquot annis post Ascensionis diem. Diu enim Persequutor, non Apostolus, Paulus fuit; Certum etiam, non Angelum fuisse, sed Christum, qui sic Paulo apparuit, cùm fuisse eundem illum dicat, qui Petro, & Apostolis visus, ad faciendam resurrectionis suæ fidem. Neque enim Angelum dixeris, sed Dominum ipsum, apparuisse Apostolis, quadraginta diebus quæ ad Ascensionem intercesserunt à Paschate.

Ludi-

Ludicrum præterea ſit Pauli argumentum; Si ſic intelligas; proculdubio reſurrexiſſe Chriſtum, quandoquidem Angelum ipſe viderat ſpecie eius tectum. Adfuit igitur Paulo Chriſtus, adfuit & pluribus Sanctis, *in Terra:* In Sacramento etiam nobis adeſt, ſed tectus, ſed creaturę imagine, atque velis Creatorem celantibus.

Dubitas tamen; & corpus quod in cælo eſt, inquis, an & poterit eſſe in terris? Omnino, Sectarie. Poteſt Domini Corpus duobus locis eſſe: Quod ſi duobus; quidni innumeris? Nam quid corporibus noſtris obeſt, ne in varia ſimul ſede conſiſtant? Nonne naturæ conditio? Qui verò naturam ſic condidit, quidni mutare in alias leges poſſit? Hęc eſt humilis diſciplina; hæc Philoſophia Chriſtiana antiquæ Eccleſiæ. Ambroſius. Lib. II. Hexęm. Cap. II. *Cùm ſermo eius ortus naturæ ſit, iure vſurpat dare legem naturæ, qui originem dedit.* Et Lib. III. Hexæm. Cap. II. *Vox autem Dei efficiens naturæ eſt.* Sed hoc fortè non potes ſatis mente concipere: Certè nec Deum potes; Neque ideò minus eſt Deus. Dei opera ſi ex tuæ in-

telligendi vi metiris, quàm debilem, quàm obſcurum, quàm à te pendentem effinxeris! Pendet ab eo tua intelligendi vis; non illius à tuo intellectu potentia.

Num operoſius autem, in diuerſis locis ſtatui vnum corpus, quàm duo corpora in eodem; ſiue, vt loquuntur Philoſophi, quàm *penetrationem dimenſionum* dari? Par omnino difficultas. Atqui Chriſtus per ipſum lapidem, *qui erat magnus valdè ad oſtium monumenti*, rediuiuum corpus eduxit, id eſt dimenſionum penetrationem, vbi vellet, dari oſtendit. Nam tunc demum reuolutus eſt ab Angelo lapis, cùm vngendo Domino veniſſet Magdalena. Matth. XXVIII. *Venit Maria Magdalene, & altera Maria videre ſepulchrum. & ecce terræmotus factus eſt magnus. Angelus enim Domini deſcendit de cælo, & accedens reuoluit lapidem, & ſedebat ſuper eum, &c. Reſpondens autem Angelus dixit mulieribus, Nolite timere vos.* Per ſolidos deinde parietes ad diſcipulos venit Chriſtus. Ioannis XX. *Cùm ergo ſero eſſet die illo, vna Sabbatorum, & fores eſſent clauſæ, vbi erant diſcipuli congregati propter metum Iudæo-*

Iudæorum, venit Iesus, & stetit in medio, &c. Iterum. *Venit Iesus ianuis clausis, & stetit in medio, & dixit*, &c.

Nugas hìc, sed indignas, quosdam vestrum comminisci non puduit, per fenestras forsitan Christum intrasse, vel per camini descendisse spiracula, foresvè soluisse, quæ antea clausæ erant. Impudens dictum, & fallor an ab hominibus intempestiuæ dicacitatis famam amantibus. An superuacuum quod tam sedulò repeti audis, *Cum fores essent clausæ. Ianuis clausis?* Quò hæc verba, nisi vt designaret Ioannes mirum Christi introitum, cui ipse interfuit? aut cur non adderet fenestra, vel camino foribusvè laxatis irrupisse, qui signanter de foribus clausis? Intrasse foribus obseratis, Sectarie, nihil est aliud, quàm intrasse præter naturæ leges, per solidas fores. Hieronymus, Aduers. Iouinian. Lib. I. *Porrò si clausis ingressus est ostijs, quod humanorum corporum natura non patitur; ergo Petrum & Dominum negabimus vera habuisse corpora, quia ambulauerunt super aquas, quod contra naturam est?* Ambrosius in Cap. XXIV. Lucæ. *Habuit autem admirandi causam*

causam Thomas, cùm videret clausis omnibus per inuia septa corporibus, inoffensa compage, corpus insertum. Et ideò mirum quomodo se natura corporea per impenetrabile corpus infuderit, inuisibili aditu, visibili conspectu, tangi facilis, difficilis æstimari. Ibidem. *Etsi Petrus de resurrectione crediderat, turbari tamen potuit, cùm videret, quòd se Dominus cum corpore, in ea quæ vestibulis obseratis, & obstructis erant septa parietibus, improuisus infunderet.*

Neque tantùm cùm resurgeret Christus, sed & cùm nasceretur penetrationem dimensionum dedit, intactis virginitatis claustris è sanctissimæ Matris vtero in lucem erumpens. Refert in eam rem insigne sui temporis miraculum Augustinus, Lib. XXII. De Ciuit. Cap. VIII. Petroniam, matronam Carthaginensem, nescio quem annulum à Iudæo habuisse, quem in morbi remedium nudo corpori zona præcingente apponeret. Hanc deinde ad S. Stephani Reliquias iter exorsam. Tunc verò zona illæsa, annulum quem gestabat decidisse, & ipsum illæsum, vt prius Christiano miraculo Iudaica re-

ca remedia ab ea ſubmouerentur muliere, quàm *impetrante Martyre* ſanaretur. Addit. *Non credunt hoc qui etiam Dominum Ieſum per integra virginalia Matris enixum, & ad diſcipulos ſuos oſtijs clauſis ingreſſum fuiſſe non credunt. Sed hoc certè quærant, & ſi verum inuenerint, illa credant. Clariſſima fœmina eſt; nobiliter nata, nobiliter nupta; Carthagine habitat: Ampla ciuitas, ampla perſona, rem quærentes latere non ſinunt. Martyr certè ipſe quo impetrante illa ſanata eſt, in filium permanentis Virginis credidit, in eum qui oſtijs clauſis ad diſcipulos ingreſſus eſt, credidit.*

Hæ ſunt igitur de natiuitate, & reſurrectione Domini ex Scripturis hiſtoriæ; hic illarum hiſtoriarum ex veteri Eccleſia ſenſus; duo corpora, Deo iubente, ſimul eodem loco poſſe conſiſtere, ſiue, vt loquuntur Philoſophi, *penetrationem dimenſionum* ex diuina potentia dari. Atqui certum nō minus in ſenſus humanos, naturamve pugnare, ita duo corpora inuicem inſeri poſſe, quàm vnum in pluribus locis ſiſti. Non par modò vtrobique, ſed eadem difficultas. Vtrumque ſupra

natu-

naturæ vires, vtrumque infra Dei potentiam agnouit Ecclesia, quæ & Christum penetrasse parietes, & varijs simul locis in Sacramento adesse, suos semper edocuit.

Sed sunt tria, quæ vos, Sectarij, ægrè decoquitis. Nomen *Missæ*; Eucharistiam dici *Sacrificium propitiatorium*; ipsam denique de Transubstantiatione doctrinam. Missa adeò inuisa vox vobis; vt illam odisse, amoris inter vos sit tessera. At sanctam hanc vocem pro celebratione Eucharistiæ vsurpatã doceri fusè possit; nisi compendio quo cœpi me tenerem. Mille circiter ac trecẽti anni sunt, ex quo vixit Ambrosius, qui Epist. Ad Marcellinã. *Missã facere cœpi*, inquit, Et mox *orare in oblatione Deũ cœpi, vt subueniret*, &c. S. Telesphorus Papa, & Martyr, qui per ætatem Ioannem Apostolum videre potuerat, iam suo tempore *Missas* agnoscit, & in ijs celebrandis multa disponit: & hoc ipsum fatentur Sectarij. Magdeburgenses enim Centur. II. Cap. X. vitio illi vertunt, *quòd Missas cumulat, & ritum earum auget, atque ad tempus alligat*. En vt incauti dum accusant Telespho-

phorum, Missarum vetustatem agnoscunt; imò & nomen, in ipso Ecclesiæ nascentis exordio. Sed quicquid sit de nomine, rem ipsam videamus.

Dicimus Eucharistiæ celebrationem, esse sacrificium, verè, propriè, propitiatorium. Vos negatis; aut potius quidam ex vestris. Nobis enim saltem tacitè, eruditiores consentiunt. Is. Casaubonus paucis ante obitum mensibus, in Serenissimi Britanniarum Regis triclinio erat. ego illi colloquebar, & alius preterea non Catholicus homo, Aulicus, adhuc hodie in Regis familia; & quem, si opus, facillimè indicem. Tunc igitur vt sermo inciderat, contigit de Eucharistia inter nos agi; quam ego dum propugno; Nihil, inquit Casaubonus, opus est vt labores. sponte profiteor, & ex antiquæ Ecclesiæ ritibus constare contendo, Eucharistiam esse sacrificium; Nec sacrificium modò laudis, vt plurimi nostrum volunt, sed sacrificium propitiatorium, sacrificium ἱλαστικόν. Hæc ipsius verba fuere: ita gemina lingua, cuius generis hoc sacrificium censeret exposuit. Gaudio ego perfundi; ille alter qui tertius colloquio

ade-

aderat, ita sentientem vehementer mirari; & verò plus hac voce se perculsum asserere, quàm *centum Papistarum argumentis*. Potest ille *veritati testimonium perhibere*. Viuit enim, & est cum Rege assiduus. Catholicus autem adeò nunquam fuit, vt timeri non possit, ne ex composito, illa fraude nos iuuet.

Et Eucharistiæ quidem oblatio adeò crebrò sacrificium à Patribus dicta, vt iam non de nomine Sectarij disputent; sed quid intelligendum hoc nomine. *Negari non potest* (ait Kemnitius) *veteres quando loquuntur de celebratione Cœnæ Dominicæ, vsurpare vocabula sacrificij, immolationis, oblationis, hostiæ, victimæ: item vti verbis, offerre, sacrificare, immolare*. Audi porrò vel vnum Augustinum, Sectarie; Dices illius æui Ecclesiam, non vsurpasse hæc verba tanquam tralatitia, & *figuratè sumpta*, sed ea intellexisse proprio, vero, ac vsitato sensu; vt Eucharistia sit sacrificium, verum, propriè dictum, propitiatorium; non modò pro viuis, sed etiam pro defunctis.

Igitur morituram matrem suam ita loquutam refert. Lib.IX. Confess. Cap.XI.

Po-

Ponite hoc corpus vbicunque. nihil vos eius cura conturbet. Tantùm illud vos rogo, vt ad Domini altare memineritis mei vbi fueritis. Deinde Cap. XIII. De eadem, *Non cogitauit corpus suum sumptuosè contegi, &c. Non ista mandauit nobis; sed tantummodò memoriam sui ad altare tuũ fieri desiderauit, cui nullius diei prætermissione seruierat, vnde sciret dispensari victimam sanctam, qua deletum est chirographum quod erat contrarium nobis.* Apertius etiam antè, Cap. XII. *Cùm ecce corpus elatum est, imus & redimus sine lachrymis. Nam neque in eis precibus quas tibi fudimus, cùm offerretur pro ea sacrificium pretij nostri, iam iuxta sepulchrum posito cadauere, priusquam deponeretur, sicut illic fieri solet; nec in eis precibus ergo fleui; sed toto die grauiter in occulto mœstus eram, &c.* Iam audis, Sectarie, non Augustini tantùm matrem, non tantùm Augustinum, sed ipsum illo seculo Ecclesiæ morem, ac sensum. *Cùm offerretur pro ea sacrificium pretij nostri.* Tria hìc habés: Eucharistiæ oblationem *sacrificium* esse; *propitiatorium* etiam. Nam aut frustra, aut impiè àb Ecclesia

sacri-

ſacrificium Domino offerretur pro mortuis, quod Dominum mortuis propitiare non poſſet. Denique habes, eò tempore puram adhuc, vt dicere ſoletis, Eccleſiam, pro mortuis publico conſenſu orauiſſe. Res hinc adeò liquidæ, adeò certæ, vt ingemiſcendum ſit cæcitati ad eiuſmodi lucem caligare volentium.

Iam de Tranſubſtantiatione quid queruntur? An eos nomen offendit? an quod ſignificatur hoc nomine? Aiunt commentum eſſe Papiſticum, ſub Innocentio III. ortum in Lateranenſi Concilio. Nimirum, quia illic de Tranſubſtantiatione apertè decernitur. Quæro autem, Sectarie, ſi hanc nobis Innocentius fidem tradidit, quis tradidit Græcis? Certè enim prorſus illi nobiſcum in hac parte conueniunt. An qui communioni noſtræ repudium miſerunt, qui Pontificum Romanorum nomen odere; doctrinam eiuſmodi, tanti momenti, tam recenter (vt vultis) à Latinis excogitatam, omnes, omnes apud ſe admiſiſſent, inuiolatam tenuiſſent? At Tranſubſtantiationis nomen haud habent. Quid tum? at rem, at fidem habent. Credunt enim panem,

ac vi-

ac vinum, post consecrationem desinere esse panem ac vinum: illicq; succedere verum Domini corpus ac sanguinem. Quidni igitur quod nunc sentit Romana Ecclesia, & sensisse credenda sit antè quàm in vsu poneretur Transubstantiationis vocabulum; cùm Græci in hunc diem Transubstantiationis vocem non habeant, & nihilo tamen minus in hac parte Romanis consentiant? Prius quàm vulgò vsurparetur Homousij nomē, an nō Sancta Trinitas à Christianis credebatur homousia? Quid ad rem interest, si serò *significatiuum* aliquod nomen, repertum à Theologis, vsuq; receptum est; modò prius res eadem in Christiana fide iam fuerit, verbis alijs, alia phrasi concepta?

Quod autem ante Innocentij III. æuū, de Eucharistia crediderint Christiani, quæ & nos modò. Facilè ex illis ostendere, qui ante Innocentium probati Scriptores. Quinquaginta circiter annis, prius expleuit Bernardus mortalitatem, quàm Innocentius III. in Pontificem eueheretur. Quid autem his illius verbis expressius, Sermone in Cœna Domini? *Hæc*

est verè indulgentia cælestis, hæc est verè cumulata gratia, hæc est verè superexcellens gloria, Sacerdotem Deum suum tenere, & alijs dando porrigere. Sed ne testimonia illa submoueantur à vobis exceptionibus, vt plerunque inanibus. (Nã fingitis incubuisse tunc noctem mortalibus, quæ eos in errorem propulerit) repetamus quæ intemerata vestro quoque iudicio secula extiterunt.

S. Augustini sententiam modò protulimus; imò Ecclesiæ mentem & vsum ab illo descriptum; Eucharistiam esse victimam qua deleta sunt nostra peccata; esse sacrificium; esse propitiationem quæ Deo pro mortuis offertur. Vis antiquiores Augustino? S. Iustinus Martyr, primo ab Apostolis seculo, Apolog. II. ad Antoninum Imperatorem. *Quemadmodum per verbum Dei incarnatus Iesus Christus Saluator noster, & carnem & sanguinem pro salute nostra habuit: sic etiam per preces verbi Dei ab ipso Eucharistiam factum cibum, ex quo sanguis & carnes nostræ per mutationem aluntur, illius incarnati Iesu & carnem & sanguinem esse edocti sumus.* S. Hilarius, tertij

Ec-

Ecclesiæ seculi vir. Lib. VIII. de Trinitate. *De veritate carnis & sanguinis non est relictus ambigendi locus. Nunc enim & ipsius Domini professione, & fide nostra, verè caro est, & verè sanguis.* Sanctus Gregorius Nyssenus eiusdem ætatis in Oratione catechetica, Cap.XXXVII. *Rectè, Dei verbo sanctificatum panem, in Dei Verbi corpus credimus immutari.* Sanctus Chrysostomus Homil. LII. in Matth. *Qui maius, id est animam suam pro te posuit, quare dedignabitur suum tibi tradere corpus? Audiamus igitur tam Sacerdotes, quàm alij, quàm magna, quàm admirabilis res nobis concessa est; audiamus, oro, & perhorrescamus, carnes suas nobis tradidit, seipsum immolatum proposuit.* Sanctus verò Cyrillus Hierosolymitanus, Chrysostomo ille antiquior, Catechesi IV. dicit, *scire, & pro certissimo habere* Christianum hominem, *panem hunc qui videtur à nobis, non esse panem, etiam si gustus panem esse sentiat; sed esse corpus Christi: & vinum, quod à nobis conspicitur, tametsi sensui gustus vinum esse videatur; non tamen vinum, sed sanguinem Christi esse.* Quid

multis? Nulla primæ Ecclesiæ ætas, nullus Patrum discrepauit. Testimonia omnium seculorum, atque Scriptorum, illi antea tibi dedere, quibus hoc argumentum fusius prosequi visum.

Liceat nunc te affari, si quis sanari exoptas, Sectarie. Vnum hoc est ex momentis fidei Christianę grauissimis, vtrum in Eucharistia sit ipsemet Christus, an tantummodo panis, qui figura sit corporis Christi. In tanta re, & qua labi sit certa pernicies, vide vtra pars tutioribus argumentis accincta sit. Quòd ad Scripturas est, sit animi impudentis asserere liquidiora, imò æquè liquida, pro vobis verba esse, quàm illa pro nobis, *Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus. Panis quem ego dabo, caro mea est.* Quædam itaque loca ex se perplexa non sunt; Alia autem quibus interpretatio adhibenda, exponimus, ex hominum certè Maiorum, pluriumq; sententia, in quibus ingenium, scientia, pietas, insignia fuere. Multò denique aptius institutioni diuinæ, *Hoc est corpus meum*. Iam si Ecclesiæ mentem qualis ab Apostolis fuit, inspicias; sciri non melius illa possit, quàm

ex

ex Patrum, qui tum vixere ſcriptis. Atqui nullus eſt Patrum, qui de Euchariſtia ſcripſerit, quem ipſi non probemus, quem iudicem defugiamus. Licet enim quidam ex illis ſint interdum obſcuris verbis vſi, quibus etiam ad hæreſes veſtras abuti ſtuduiſtis; Nemo tamen eorum eſt qui hoc modò anxiè ſit loquutus, cuius alia pro nobis verba non extent, liquida ac aperta: Plurimi verò ita ſcripſere, vt cùm ſententiam noſtram afferant, ne fingi quidem poſſint, vlla circuitione verborum hæreſi veſtræ fauiſſe. Iam ſi ad Chriſtianorum conſenſum reſpicias; in confeſſo eſt, Latinam, Græcamq; Eccleſiam, vbique denique per Orbem Chriſtianos, vno ſuffragio in noſtram ſententiã conueniſſe: Vt ſi vndequaque argumẽta reſpicias, plura à nobis ſint; ſi eruditionẽ, multo plures doctrina inſignes; ſi ſecula, haud dubiè plura: ſi hominum numerum, vos partibus noſtris conferri puduerit.

Ita per omnia inferiores nobis, vna pertinacia reſtatis, & vitio incredulæ vanitatis, quæ à vobis prudentia, aut ſapientia appellatur; & tota in eiuſmodi

philosophia est, possitne hoc Deus; an sit verisimile voluisse; quæ illinc incommoda nascantur; quàm hoc indignum maiestate diuina; Eodem prorsus more, quo Ethnici quæsiere in Christum, Ariani in Trinitatem. Apage importunæ industriæ curam. Dei opera cur fiant, interdum agnoueris; quomodo fiant, neutiquam scies. Vtar Ambrosij verbis. II. Hexæm. Cap. I. *Quis hæc videns possibilitatem rationis infirmo ingenio rimetur? quæ omnia vis diuina incomprehensibilis humanis mentibus, & ineffabilis sermonibus nostris, voluntatis suæ authoritate connexuit.*

Si te verò, Sectarie, non mouebit nostra consensio, at moueat cæca inter vos pugna; dum diuisi in sectas, dum quid de Sacramento sentiendum, acerbè certatis. Vtinam scias, quàm dulce ad altare procumbere, *vbi Angeli* (inquit Chrysostomus Homil. III. in Epist. Ad Ephes.) *hostiam cum tremore suspiciunt*; quàm dulce illic Dominum adorare, qui (Augustini verbis, In Comment. Psal. XCVIII.) *in ipsa carne hìc ambulauit, & ipsam carnem manducandam nobis ad salutem de-*

dedit : quàm denique omni humana suauitate pręstantius, relictis ambagibus fidere Dei verbo, cui tot antea secula sunt assensa ; agnoscere esse hoc Domini corpus, quod Dominus suum corpus esse asseruit; & ore carneo carnem Domini idonea humilitate suscipere, vt effectu Sacramẽti, & Spiritu qui viuificat, animas nostras alat. Nemo hæc gaudia ante Antichristi tyrannidem à fidelibus tollet, nemo nisi expertus deprehendet.





CAP. III.

Propugnatur Liberum hominis arbitrium. Ex sententia Sectariorum sequi, vt Deus, peccati author, imò propriè peccator sit.



LVRES olim Sectarij oppugnarunt plures fidei partes; soli isti hoc seculo penè omnes; siue diuinæ iracundiæ fuit, vt infelicitas superiorum ætatum in istam confluerent; siue beneficij loco hanc cautionem dedit, vt & illorum miseriæ pijs lachrymis ingemeremus, & horror esset ad eorum fidem accedere, qui in omnibus à nobis abhorrent. Ecclesiam euertunt, in Sacramenta pugnant, Pastorem incessunt maledictis. Traditiones omnes, Scripturarum etiam partem, eripi volunt. Ecce

au-

autem nobis quoque nos ipſos non relin-
quunt; Liberumq́; arbitrium, quo nihil
in humana natura præſtantius inceſ-
ſunt iniurijs, vt ſeruum, vt captiuum.
Ita vna opera & hominibus bona adi-
munt, & in Deum conferunt mala; cuius
partes in hominis peccato eas ſtatuunt,
vt ipſemet neceſſariò peccati author ſit,
& cum peccatoribus peccet.

Longè ab hac impietate Scripturæ, lon-
gè Patres; in quibus nihil vſquã frequen-
tius, quàm datam homini optionem ad
virtutes aut vitia; vt ideò in culpa ſit quã-
do peccat, quia potuit non peccare; ideò
à crimine inſons Deus, quia hominem
nunquã cogit ad crimen. Sed nec homini
ſolùm in hac parte ius ſui, vt liberè pec-
cet; verùm vt & ipſi in benè agendo liber-
tas ſit; qua gratiã Dei, vtique ad omnia
bona neceſſariam, aut repudiet, aut ad-
mittat. Hoc adeò ex naturæ lumine, ex
Scripturarum, & Eccleſiæ ſenſu; vt *à te-
nebris conculcatos* dixeris, quos illa lux
fugit. Conſenſus verò Patrum in eo mi-
rabilis; nec modò illorum qui ante Pela-
gij hæreſim, ſed etiam qui poſtea florue-
re. Ipſe Caluinus, in Reſponſione ad Pi-
ghium,

ghium, qui eruditè egerat Liberi Arbitrij causam, vltrò fatetur, Hilarium, Hieronymum, Chrysostomum, à Liberi Arbitrij partibus stare. Ita me amet bona mens, vt illorum sanctitatem, atque scientiam, Caluino prætulerim. Et his tribus, alios Patres bono iure addere potuisset, si tam verum amasset quàm hæresim suam.

Sed iam fortissimè depugnatum in hac arena est, ab egregijs viris. Nos veluti ad spicilegium relicti, quædam ex Scripturis argumenta, ex rationibus etiam, Patribusq; hic dabimus; vt scias in re adeò liquida deesse nunquam posse argumenta quærentibus. Primum nobis argumentum ex II. Paralip. Cap. XXIV. *Spiritus itaque Dei induit Zachariam filium Ioiadæ Sacerdotem, & stetit in conspectu populi, & dixit eis, Hæc dicit Dominus Deus, Quare transgredimini præceptum Domini, quod vobis non proderit, & dereliquistis Dominum, vt derelinqueret vos?* Vides, vt prius dereliquerit Deum populus, quam populum Deus, priusq; ab auxilio ipsi recesserint, quàm ab illis auxilium. Quandiu verò non recesserat ab illis diuinum auxilium, quis dubi-

dubitat quin potuerint cum Deo permanere? Cùm ergo permanere potuerint, neque tamen permanſerint, liberum arbitrium omnino illis fuit, inclinandi in vtram vellent partem.

Adhuc apertius II. Paralipom. Cap. XXXVI. *Mittebat autem Dominus Deus Patrum ſuorum ad illos, per manum nunciorum ſuorum, de nocte conſurgens, & quotidie commonens: eo quòd parceret populo, & habitaculo ſuo. At illi ſubſannabant nuncios Dei, & paruipendebant ſermones eius, illudebantq́; prophetis, donec aſcenderet furor Domini in populum eius, & eſſet nulla curatio.* Atqui vel his vocibus Prophetarum, cęterisq́; remedijs quæ tunc Deus Iudaicæ perfidiæ adhibebat, ita Iudæi poterant vti vt Deus *illis parceret, & habitaculo ſuo;* Vel non poterant. Si poterant, nec fecerunt. ecce illam, quam modò propugnamus libertatem arbitrij. Si non poterant, non inepta modò Scriptura eſt, ſed prorſus à vero exerrat; dum aſſerit, ideò his illos monitis à Deo oneratos, *vt parceret populo, & habitaculo ſuo.*

A Paralipomenis ad Iſaiam diuertamus.

mus. Cap. LXV. *Expandi manus meas tota die ad populum incredulum, qui graditur in via non bona post cogitationes suas.* Quid est, Deum expandere ad incredulos manum, nisi illis ita manum auxilij sui porrigere, vt possint tenere illam manum, & hac ope sustolli de peccatis? Cur expandit, nisi ad auxilium? quale autem auxilium, si hi quibus ferebatur eo iuuari non poterant? aut cur exprobrat non vsos auxilio, nisi quia poterant vti? Eadem sententia, Prouerb. I. *Quia vocaui, & renuistis; extendi manum meam, & non fuit qui aspiceret.* An is renuere dici potest, Sectarie, qui vocantem non audit, aut qui non potest annuere? Aut cur queritur Deus, quòd cùm manum extendisset, nemo aspexerit, nisi quia extenderat vt aspiceretur? Pergit Dominus apud Isaiam. *Numerabo vos in gladio, & omnes in cæde corruetis; pro eo quòd vocaui, & non respondistis: locutus sum, & non audistis: & faciebatis malum in oculis meis, & quæ nolui elegistis.* At quæ, ò Domine, culpa illorum? aut cur irasceris, hos non tibi respondisse, qui respondere non poterant?

Cur

Cur eos ad maiora ſupplicia deſtinas, quàm ſi omnino non vocaſſes, omnino non loquutus illis eſſes? Quid errauere? quid miſeri meruere, ſi non hoc præſtiterunt quod eos voluiſti preſtare non poſſe? An æternis ideò ſupplicijs hos multabis? *Abſit à te, vt rem hanc facias: qui iudicas omnem terram, non facies iudicium hoc.* Atqui aut id facies, eriſq; iniuſtus; aut grauiter errant Sectarij, qui hoc tuæ Maieſtati audent affingere. Sed quid liquidius vltimis verbis? *Et quæ nolui elegiſtis.* Quàm ridiculum, vt dicamur eligere, ad quod neceſſitate adigimur? Num eligit paupertatem qui diues eſſe non poteſt? num tenebras qui à luce excluſus eſt? Quæ illa Philoſophia, vt non libertatis eſſe, ſed coactionis dicatur electio? Mendax ergo Scriptura; neque elegere impij quæ noluit Deus; vel alia via erat (nempe mandatorum Domini) quam potuerunt eligere. Electio enim alterius rei reſpectu dicitur, quam reſpuas.

Sed iam Chriſtũ audite Sectarij, apud Matthæum Cap. XXV. In poſtremo mundi actu, in impios ſententiam feret, quod

ſibi

ſibi egeno, ſitienti, nudo, captiuo, nullam opem attulerint. Atqui iniuſta ſententia erit, niſi nudum Chriſtum tegere, eſurientem paſcere, ægrum viſere potuerunt; id eſt, niſi his operibus collatis in egenos, potuerunt *ab ira ventura, & ab arcu declinare*. Reſponderent tunc impij, non quod reſponſuros Dominus ait, *Domine quando te vidimus eſurientem*, &c. Sed potius; Domine, ſcis non potuiſſe nos facere, quod quereris eſſe omiſſum. Tua verius culpa eſt, qui non dediſti poſſe; quàm noſtra qui non accepimus. Idem eſt, ac ſi dicas, ite in ignem æternum, quia cælum digito non tetigiſtis, quia Lunam in Ecclypſim deficere paſſi eſtis, quia mare continuatis poculis non hauſiſtis.

Nec obſcurius pro nobis Apoſtolus. I.Corinth.X. *Fidelis autem Deus eſt, qui non patietur vos tentari ſupra id quod poteſtis, ſed faciet etiam cum tentatione prouentum, vt poſſitis ſuſtinere*. Si ſupra id quod poſſumus, non tentamur; ergo vbi peccamus, poſſumus non peccare: Si poſſumus non peccare, peccamusq́; nihilominus; ergo libertas arbitrij nobis eſt,

qua

qua aut Deo assentiamur, aut Dæmoni. Ait, *vt possitis sustinere*. Atqui nihil dicimur posse, vt vel puero notum, nisi quod sit in nostra potestate; si hoc autem in nostra est potestate, liberè, & voluntariè, non ex necessaria vlla determinatione, benè agimus, aut peccamus. Id enim ad quod necessariò determinamur, quis adeò absurdus, qui esse existimet in nostra potestate? Nec simpliciter dixit, *vt sustineatis*, sed, *vt possitis sustinere*. Illic enim hos ipsos qui sustinere possunt, posse etiam non sustinere, sed si voluerint labi, disertè pronunciat. *Itaque qui se existimat stare, videat ne cadat.*

Audi iam Ambrosij sensum, quem modestè impudentes, saltē Luthero, Caluinoq; prætulerint. Lib. I. Hexæm. Cap. VIII. *Et certè in nobis est moderari studia, cohibere iracundiam, coërcere cupiditates: in nobis est etiam indulgere luxuriæ, adolere libidines, inflammare iracundiam, vel inflammanti aurem accommodare, eleuari magis superbia, effundi in sæuitiam, quàm reprimi humilitate, diligere mansuetudinem*. Pergit paulò pòst; & nos affectuum nostrorum dominos vocat.

Illa

Illa cauenda quæ ex nostra voluntate prodeunt, delicta iuuentutis, & irrationabiles passiones corporis. Quorum igitur nos sumus Domini, horum principia extrinsecus non requiramus, nec deriuemus in alios, sed agnoscamus ea quæ propriè nostra sunt. Quod enim possumus non facere, si nolumus, huius electionem mali nobis potius debemus quàm alijs ascribere.

Hæreticus, vt hinc cõstat, Sectarie, iste Ambrosius, aut tu hæreticus: Cæca illius æui Ecclesia, quæ eum vt orthodoxũ laudauit, aut tu cæcus, qui ab illa mente deflexeris. Agnouit eandem arbitrij libertatem, pius apud Augustinum Christianus (Lib. VIII. Confess. Cap. VI.) qui his verbis se ipse ad monasterium inuitabat. *Maiornè poterit esse spes nostra in palatio, quàm vt amici Imperatoris simus? Et ibi quid non fragile, plenumq; periculis? Et per quot pericula peruenitur ad grandius periculum? Et quamdiu istud erit? Amicus autem Dei, si voluero, ecce nunc fio.*

Sed cui sano liceat dubitare de Antiquorum in hac parte sententia, post hæc S.Iu-

S. Iustini Martyris verba, quæ proferri in vos solent, ex ipsius Apologia, ad Antoninum Imperatorem? *Nisi libero arbitrio genus humanum, & res turpes fugere potest, & pulchras ac bonas sequi, extra causam, culpamq; est eorum, quæ quoquomodo aguntur. Sed ipsum libero arbitrio, liberaq; voluntate, & rectè facere, & peccare, docemus....*

At nos scilicet ad Pelagianos Sectarij dicunt accedere; nimis humanæ naturæ tribuere; Gratiã Dei habere viliorẽ. Absit hoc nefas. Pelagiani volebant Naturæ viribus, & ipsa arbitrij libertate, quæ lege exteriori adiuta sit, vel interiori excitatione tantummodo reuelante, præter aliam gratiam Dei vllam, à peccato diuertere hominem posse, virtutem amplecti, sanari, iustificari. Pelagianorum hanc hæresim contraria hæresi vos nũc oppugnatis, Sectarij; libertatem arbitrij, quam nimium illi extulerant, ita prementes, vt dicatis hominem ex libera electione non peccare, sed ex violentia corruptæ naturæ, simulq; *determinatione diuinæ voluntatis*, cui decretum est, vt fiat hoc peccatum: cùm quid verò synceri à nobis fit,

ne in hac quidem parte Liberó Arbitrio locum esse; sed hoc totum ex Gratia Domini promanare, ita mouentis, atque impellentis voluntatem; vt ad hoc pium opus *necessaria omnino determinatione* se applicet. Ita Deo peccata tribuuntur, ita meritum nobis eripitur; & stultum sit de sceleribus, vitijsq; dolere; cùm, ex illa sententia, non sint à malitia & electione mortalium; sed *à voluntate & dispositione Dei*, qui eadem vi hos ad peccata, hos ad virtutes pellit.

At Ecclesia ab his furoribus ita diuertit; vt sentiat nihil boni posse nos facere, nihil velle, nisi *speciali auxilio gratiæ Dei*, hæc bona suggerentis; ad hæc opera adiuuantis. Hac sententia Pelagianos in hæreticis refert. Sentit tamen inuitari nos à Deo, atque iuuari, & ad bona moueri non cogi; & habere Libertatẽ Arbitrij, qua Gratiæ Dei consentire possimus, aut ab ea dissentire: ita vt nec boni aliquid sine Deo possimus efficere, & cum Deo qui nõ cogit, sed inuitat, & adiuuat, adhuc possimus non facere. Ita proscribit hæresim vestram; Scripturasq; conciliat, quarum illæ, à Deo pendere virtu-

tes, bona opera, recta consilia, prædicant; aliæ verò mortalibus indignantur, qui virtutem repudiarunt, qui vitium elegerunt.

Sed & eadem arbitrij libertate peccare homines censet Ecclesia. Non quòd Naturæ viribus possimus obstare; sed quod omnibus *sufficiens gratia Dei* adsit, qua si vtimur possimus de *tentationibus* triumphare. Eo modo Scripturæ non pugnabunt, nec secum ipsi Patres; dum nunc aiunt nostra culpa & electione nos peccare; nunc, sine Dei auxilio non satis virium voluntati nostræ esse, vt à peccando abstineat. Nam vt homo innata vi, absque alimento viuere quidem haud potest, & tamen voluntariè mori dicetur, si ad cibum porrigere manum nolet: Ita fragilis & corrupta peccato voluntas, non vtique per se potest, & absque alimento gratiæ Dei, in vita spirituali perseuerare, & à malo, ad quod impellitur, abstinere: sed quoniam potest gratiæ Dei ope peccato resistere; si id non faxit, cur non dicatur sua culpa perijsse? cur non dicatur potuisse viuere, & mori voluisse? cur non Deus indignetur suam legem ab homine

violatam, qui ne eam violaret iuuari non voluit?

At quàm ridiculè nos vocatis in Pelagianam infamiam? Pelagium plus iusto Liberum Arbitrium extollentem, damnauit antiqua Ecclesia, & in eum Hieronymus illius Ecclesiæ filius editis libris inuectus est. An autem credibile, Hieronymum his in Pelagium libris, nimium Libero Arbitrio tribuisse, idest incidisse in hæresim quam tunc maximè castigabat? Ecce autem quid illic censuerit. Procem. in Dial. Aduers. Pelag. *Breuiterq; calumniantibus respondemus, qui sua in nos maledicta conferunt, Manichæorum esse hominum damnare naturam, & Liberum auferre Arbitrium, & adiutorium Dei tollere.* En vt æquo suffragio, tam vos qui Liberum aufertis Arbitriũ, quàm Pelagianos proscribit, qui adiutorium Dei tollebant. Deinde Lib. I. *Sic Liberum homini seruamus Arbitrium, vt Dei per singula adiutorium non negemus.* Num non illa quàm nos Catholici propugnamus sententia? Inde Lib. III. *Egonè Liberum tollo Arbitrium, qui in tota disputatione mea nihil aliud egi, nisi vt omnipoten-*

nipotentiam Dei cũ Libero Arbitrio conseruarem? Denique totis his Libris nihil aliud ſtatuit, quam quod hodie Romę. At ſi tunc alia Eccleſiæ fides erat, cur vt Pelagium ſic & Hieronymum non damnauit? cur à nemine æqualium in eo argumento reprehenſus? imò cur laudatus ab omnibus?

Criminum igitur culpam in peccatorem referimus; vos in Deum; quamquam quod re ipſa facitis verbo negetis. vt, quod ille de parricidio dicebat, inde ſciamus difficilius excuſari ſacrilegium quàm admitti. Sed ò tandem Sectarij, tantum facinus vel patrare erubeſcite, vel audete agnoſcere. Nos quidem profitemur, tam peccatoribus quàm peccatis ad gloriam ſuam Dominum vti, qui ſolus ex malo bonum facit. Pharaonis cum Moyſe lucta miraculis cauſam dedit. Iudæorum ſcelere victima Patri oblata eſt; & hinc ſalus fidelibus. Inter hæc tamen *Deus intentator malorum eſt.* Nec in iſtis aliæ eius partes, quàm quòd vel ob illorum mortalium anteacta facinora, vel ob diuini iudicij diſpenſationem arcanam ac iuſtam, ita recedit, ita gratiæ ſuæ

lumen ab indignis abſcondit, vt deinde iuſtè ac meritò ſuæ fragilitati relicti, in ſcelera impingant, quæ vitare quidem poſſint, at nolint; quæque illis ad damnationem ſint, Deo autem ad probationem bonorum, & ad miſericordiæ, aut iudicij ſui lucem, denique ad humanarum rerum ordinem, qualem ipſe præuiſa malorum nequitia ab æterno inſtituit. Itaque indurare dicitur corda, vbi aliam gratiam non concedit, quàm qua vti poteſt homo, & qua tamen vti non volet. Iuſtè itaque eo modo peccator obduratus, & Deo volente; & iniuſtè nihilominus peccat, ac Deo nolente.

Vos porrò, Sectarij, longè aliam rationem inijſtis. Creditis Deum non modò permittere, ſed velle peccata. malitiam non ab homine proprio marte productam; ſed habere Deum authorem: Deum operari peccatum per hominem; Deum hominibus, diaboliſq; *mandare* vt maleficia concipiant, moliantur, perficiant. Dei ordinatione iniectam Adamo, cæteriſque deinde mortalibus, peccandi neceſſitatem; Deum excitare, impellere, mouere, ad peccandum. Horren-

rendas illas voces, & supra barbarorum inhumanitatem feras, ex vestris Antesignanis habemus, Zuinglio, Caluino, atque Beza. Multi tamen ex vestris, quos nunquam penetrare contigerit in illa suorum fœda mysteria, ad has voces exhorrent; neque tamen effecerint aut illas non esse ex suæ sectæ norma; aut inde non sequi, Deum verè ac propriè peccati esse authorem; imò verè, propriéque peccare. Zuinglius Serm. De prouidentia. Cap. VI. *Vnum igitur, atque idem facinus, puta adulterium, aut homicidium, quantum Dei est authoris, motoris, impulsoris, opus est, crimen non est; quantum autem hominis est, crimen ac scelus est.* En tibi Deum, adulterij authorem, motorem, impulsorem. quid restat, nisi vt adulterum, instar Iouis, effingant? Minus vile ducitur agere adulterum quàm lenonem. Addit: *Mouet ergo* Deus *latronem ad occidendum innocentem etiam ac imparatum ad mortem*. O furiale os! Nec mitior in Deum Caluinus, passim in eandem sententiam infandæ philosophiæ argumenta congessit. Ex tot locis quibus ipse hoc scelere se

aſtrinxit, ſatis erit duos exſcribere. Multò plures antè dederunt, quibus hanc blaſphemiam prolixè arguere curæ fuit. Igitur Lib.I. Inſtit. Cap.XVII. §. XI. ait, *diabolum totamq; improborum cohortem, ſic omnibus partibus manu Dei tanquam fræno cohiberi, vt nec concipere vllum aduerſus nos maleficium, nec conceptum moliri, nec ad perpetrandum, ſi maximè moliantur, digitum mouere queant, niſi quantum ille permiſerit, imò niſi quantum ille mandarit*. Deus ergo Caluine ex tua ſententia, flagitia fieri mandat? Atqui, vt naturali ratione lex ſtatuit, *quod quis mandato facit iudicis, dolo facere non videtur, cùm habeat parere neceſſe*. Idem Caluinus Lib.III. Inſtit.Cap. XXIII. §.IX. *Excuſabiles peccando haberi volunt reprobi, quia euadere nequeunt peccandi neceſſitatem: præſertim cum Dei ordinatione ſibi iniịciatur huiuſmodi neceſſitas: nos verò inde negamus ritè excuſari, quandoquidem Dei ordinationi, qua ſe exitio deſtinatos conqueruntur, ſua conſtet æquitas, nobis quidem incognita, ſed illi certiſſima*. Imò quicquid garrias, excuſabiles eſſent illi, Caluine; ſed tu

blaſphemus, tu inexcuſabilis, qui ſcribere auſus, *Deum mandare Satanæ, improbisq; mortalibus, vt flagitia perpetrent; Dei ordinatione inÿci facinoroſis peccandi neceſſitatem. Peccatores neceſſitatem peccandi non poſſe euadere.*

Quæ flagitijs inde libertas? aut cur mortalium vllus ſtudeat, tentationi, aut peccato reſiſtere, ſi credat peccata omnia ita ex Dei ordinatione pendere, vt quicunque peccat non poſſit non peccare, cùm *à Deo ordinatum* ſit vt peccet; & quicunque non peccat, peccare non poſſit, cùm *ordinatum* ſit vt nō peccet? Quò in tentationes remedia? quò fuga peccati? Vana illa, ſi hæc vera. Ordinationi diuinæ quæ neceſſitatem inijcit, totam rem iuſtè homo reliquerit; non ſuæ curæ, quæ inutilis, & in illam neceſſitatem pugnare non poteſt. Cur porrò quis plectatur ob admiſſum à ſe facinus, quod Deus fieri mandauerit, imò ad quod coëgerit? Plectetur, inquies, quia hoc facit, non vt obtemperet Deo, ſed vt cupiditati inſeruiat. Itane? At ſi id faciat, vt ſit Dei voluntati morigerus, an tunc verò non peccabit? Sentiat ſcilicet aliquis

Cal-

Caluinista, se ad furtum, aut aliud scelus impelli; credit Deum ad hoc facinus impulsorem sibi esse; credit hanc tentationem non solùm Dei permissu, sed & iussu, in illum incumbere; Credit denique se non posse hoc scelus siue admittere, siue effugere, nisi *ex ordinatione Dei:* id est, nisi Deus *mandet ac necessitatem ei inijciat*, qua hoc scelus, aut admittat aut fugiat. Si igitur secum ipse sic loquatur. Deus me impellit vt furer: Experiar, vtrum ex ipsius *ordinatione* sit, vt furto me astringam. quandoquidem *qui Dei ordinationi resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt*. Rom.XIII. Ac præterea nisi necessitatem mihi inijceret, vt furari iam velim, velle non possem. Denique si mandat hoc furtum à me fieri, fiet omnino, nec possum, imò nec volo, illi obsistere. Si non mandat, quicquid coner, nihil efficiam. In hanc sententiam compositus an peccat Caluinista, si furto se obstringat, si cædibus sæuiat, si in quæcunque impellitur det se præcipitem? Credit à Deo se cogi vt velit; paret cogenti Deo, & quidem eo animo, vt illi obsequatur.

Præ-

Præterea quæ ratio vt dicatur potius homo peccare, esse sceleratus, esse plectendus, cuius voluntate eo modo quo censetis vtitur Deus ad alium ferro mactandum, quàm lapis aut murus, cuius pondere vtitur etiam Deus ad hominem obruendum, aut fossa quæ interceperit nocte errantem, aut fera quæ in viatores inuaserit? Si, inquam, *voluntati* Dominus *mandat* vt velit occidere, cur plus peccet illa voluntas, quàm aut Leo, aut ruinosus paries, aut etiam aconitum, quo quis incautus occiderit? Siquidem illa voluntas post eiusmodi Dei *mandatum*, post *ordinationem* Dei, non potest non velle occidere, nec plus potest se regere, quàm aut Leo feritatem, aut paries pondus, aut sui veneni vim stirps quæcunque succo funesta. Cur plus igitur illa voluntas peccet, quàm aut aconitum, aut murus, aut Leo? Certè vt homini vitio verti non potest voluntatem à Deo sibi datam; ita nec culpa erit, eam voluntatem à Deo sic adigi, vt necessariò id velit quod eam velle vult Deus.

Ita ex vestra sententia, peccati Deus author, imò solus peccator est, qui *efficaciter*


citer ad peccandum impellit, qui peccata fieri *mandat*, qui in eo ſtatu voluntatem hominis collocat, vt peccare neceſſariò velit. Luctuoſa res, eſſe repertos tam blaſphemæ ac barbaræ ſententiæ viros, inter nominis Chriſtiani cultores; Nec Arium, nec Manichęum putem, plus diuino honori detraxiſſe. Nam quid non hæreſi iſta confudiſtis, Sectarij? Pugnatis in rationis, ac iudicij normam, in liquidiſſima verba Scripturæ, in apertiſſimas ſententias Patrũ (plures enim quinquaginta ad hanc noſtram de Arbitrij libertate ſententiam numerantur) denique in veteris & hodiernæ conſenſum Eccleſiæ. Quæ omnia vultis eludi, primùm pertinacia occupati animi, ac miſerè obloquentis, perplexis deinde aliquot à Scriptura, ac Patribus argumentis; quæ ideò deeſſe non pòſſunt, quòd in re toties repetita interdum obſcurius, interdum è re nata anguſtius, laxiusvè loquutos authores oportuit. Ne ſic quidem ab obliquarum mentium ſubtilitate, Scripturiſq; ac Patribus, in Deum, in Trinitatem, in Chriſtum argumenta deſuerint.

CAP.



CAP. IV.

Fidem non sufficere ad salutem. Multipliciter errare Sectarios, dum se de salute certos credunt. Omnia hominum opera non esse peccata. De peccato mortali, & veniali. Absurdissimam impietatem necessariò sequi ex sententia Sectariorum.



VERTERE libertatem arbitrij, necessitatiq; peccata tribuere, aditus hæresiarchis fuit, vnde in omnem pietatem grassarentur. Exploranda ex illis aliqua quæ inde reuera consequuntur, aut quæ de industria consequi illi volunt; Aiunt igitur veram fidem ad salutem sufficere. veros Christianos (quales ipsi sibi videntur) de salute certos esse. Omnia hominum opera esse pecca-

peccata. Ex rei natura non esse in peccatis discrimen eiusmodi, vt hæc sint venialia, illa mortalia: Sed peccata omnia reprobis mortalia, omnia venialia esse electis. Meritoria, & supererogationis opera, commentum esse papisticum, impium, risu dignum. Inter hæc monstra non tantum diuina lex violatur, sed imminet legum humanarum tristis euersio, & præter pietatis exilium, Orbi quoque abominanda barbaries.

Dicis, Sectarie, fidem sufficere ad salutem. Cur igitur de operibus tam crebrò Scripturæ? An vt illæ decipiant? an & illæ deceptæ sunt? Paucissima de multis collegero. Psal. LXI. *Et tibi Domine misericordia, quia tu reddes vnicuique iuxta opera sua.* Matth. XII. *Omne verbum otiosum quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die iudicij.* Matth. XVI. *Filius enim hominis venturus est in gloria Patris sui, cum Angelis suis, & tunc reddet vnicuique secundum opera eius.* Apocalyp. XIV. *Beati mortui qui in Domino moriuntur, &c. Opera enim illorum sequuntur illos.* Et Matth. XXV. de operibus quæsiturum se Domi-

nus, & propter hæc hos se ad cælum, hos ad inferos missurum pronunciat.

Legimus quidem, per fidem nos saluari, per fidem iustificari; certè; quia *sine fide impossibile est placere Deo.* Hæc enim est radix, hæc iustificationis fundamentum; vt docuit Concilium Tridentinum. Sess. VI. Cap. VIII. Sed & præter necessariam fidem, necessaria vtique & alia ad salutem. Vitæ domicilium in corde schola medicorum constituit; necessaria tamen cerebri temperies, iecoris, pulmonisq; officium. Ita necessaria Fides, sed illa non sola. *Si habuero* (inquit Paulus. I. Cor. XIII.) *omnem fidem, ita vt montes transferam, Charitatem autem non habuero, nihil sum.* En verò, Sectarie, aliquid præter fidem, quod necessarium ad salutem. Fides, inquit Apostolus, sine charitate non prodest; Fides, inquiunt Sectarij, ad salutem sola sat est. Alterutra pars errat. Vtra sit, quis cordatus possit ambigere?

Num quid præterea Iacobi Apostoli verbis disertius, Epistolæ suæ, Cap. II? *Videtis quoniam ex operibus iustificatur homo, & non ex fide tantùm.* Nec dixeris

ris, cum Caluino. Lib.III. Instit. Cap. II. & XVII. non de vera, sed vmbratili fide Iacobum hìc agere: Adeò misera declinatio, vt mirer nisi ab absurdis esse probatam. Nam si hic sermo de non vera, sed vmbratili fide, non dixisset Iacobus, *ex operibus iustificatur homo, & non ex fide tantùm*; sed potius; non ex eiusmodi fide vllo modo iustificatur homo; sed ex vera & perfecta. Si hæc inquam, de qua loquitur fides; non est ea quæ alijs necessarijs virtutibus coniuncta *iustificat*, malè addiderit; *non ex fide tantùm* iustificari hominem; dicendum fuerat, ex illa fide nullo modo hominem iustificari. Finge enim hominem cum ea fide quam Caluinus hìc somniat; addas illi *circunstantias*, vt loquuntur, quamlibet pias, nunquam vel iudice Caluino efficies, vt hæc fides sit ad iustitiam valitura. Ergo ineptè Apostolus partem iustificationis in illa fide constituit; vel Caluinus ineptè in exponenda Apostoli mente deceptus est. Sed quem fucum disertissimis verbis faciant, *Videtis quoniam ex operibus iustificatur homo?* Certè vel ex operibus homo iustificatur, vel non iustifica-

ficatur: si non iustificatur falsa est Iacobi sententia; si iustificatur, falsa Lutheri, atque Caluini.

At, inquies, fidem volumus viuam, idest operibus & charitati coniunctam. At repono, vos nugari; Neque hoc quęrere. Nã & Lutherus scribit, De Capt. Babyl. Cap. De Bapt. fidelem, quicquid agat, perire non posse, dũmodo infidelis esse non velit. & nusquã Caluinistæ negauerint, fidem ad salutem sufficere, quà peccata remissa sibi credant, *per sanguinem Christi*. Atqui hæc fides potest haberi sine bonis operibus, aut vera in Deum charitate; sed cum fide tantummodò, aut verius dicam præsumptione charitatis Domini in nos.

Sed demus vos per *fidem iustificantem* intelligere illam fidem, quæ operibus & charitati coniuncta est. Nihil minus nugamini, res diuersas vno verbo complexi, vt sub eiusmodi confusione fallatis. Nam ex Paulo habemus, fidem sine charitate posse consistere: (*si habuero omnem fidem, charitatem autem non habuero*, &c. inquit:) Ac proinde fidẽ & charitatem diuersissimas esse virtutes; quod

V &li-

& liquidò rursus docet. *Nunc autem manent fides, spes, charitas; tria hæc, maior autem horum est charitas*. Adeò vt cùm fides charitati coniuncta est, non ideò tantùm homo *saluetur*, quòd habeat fidem; sed quòd habeat aliquid præter fidem; & per fidem crediderit, per charitatem amauerit; vt sit necessaria ad salutem charitas æquè ac fides. Quæ igitur verborum ambages; aut quæ vobis authoritas significationes nouas tribuendi vocabulis; vt *fidei* nomine *charitatem* velitis contineri, quæ prorsus à fide diuersa est?

Sed & vulgus hac voce percepta *fidem sufficere, opera meritoria nulla esse*, sensum quem verba palàm, ac verè habent, arripiunt; inertiæ suæ fauent; omne præsidium in fide collocant; opera, vt inutilia, & ex se molesta abijciunt. Quàm à me hæc verè sat produnt tristissima inter vos exempla, operũ incuria, in fide insana securitas. Neque ex errore populi, sed ex vestra Theologia est illa dementia. Non enim opera (quicquid interdum perplexè loquamini) cum fide postulatis; sed simpliciter fidem. Nam si peccata omnia

(vt

(vt docetis) venialia ſunt electis, ſequitur vos, qui ex veſtra ſententia eſtis electi, peccare non poſſe mortaliter. Si non poteſtis, quãtumlibet malis operibus fœdi ſitis, bonis quantumlibet deſtituti, ſufficiet ad ſalutem veſtra hæc fides. Sed mox fuſius de tanta veſania.

Nec obijciatis loca Scripturæ, quibus fides videtur *in ſolidum iuſtificare*: opera autem nihil. Non enim alius illis ſenſus, quàm opera ſine fide, vel opera quæ ex ſola cognitione legis, liberiq; arbitrij viribus ſunt; vel opera legis Iudaicæ, poſt Euangelium legitimè promulgatum; ad æternam gloriam non prodeſſe. At quòd opera cum fide neceſſariò ſint iungenda crebrò, vt diximus, Scripturæ proclamãt; nec quid in contrarium ſententiæ illæ habent, quas ex verbo diuino fruſtra corraditis. Locuples nobis teſtis Auguſtinus, ad ea ipſa verba, quæ ex Apoſtolo maximè in nos vrgetis. Rom. III. *Arbitramur hominem iuſtificari per fidem ſine operibus legis*. Ita igitur ille, De Grat. & Liber. Arbit. Cap. VII. *Homines non intelligentes, quod ait ipſe Apoſtolus Paulus, Arbitramur hominem iuſtificari per*

fidem ſine operibus legis: putauerunt eum dicere ſufficere homini fidem, etiamſi malè viuat, & bona opera non habeat. Quod abſit vt ſentiret vas electionis.

Sed producenda in lucem veſtra hæc fides, qua creditis iuſtificari. Ea non eſt, vt credatis in Deo trinitatem perſonarum, & vnitatem eſſentiæ; non vt credatis ſymbolum Apoſtolorum, ſymbolum Nicæni Concilij, ſymbolum Athanaſij. Hæc omnia non ſunt vobis fides iuſtificans. Proh pudor, Chriſtianos eſſe repertos, qui vtiliorem aliam fidem eſſe ſentirent. Quæ igitur apud vos ſalutaris hæc fides? vt quiſque veſtrum credat, ſe electum, ſe de ſalute certum; *non imputata ſibi peccata, ſed imputatam Chriſti iuſtitiam.* Cum eiuſmodi fide non putatis poſſe perire. Age vero Sectarie. Quicunque fidem iuſtificantem habet, an ille iuſtificatur? Iuſtificari non negabis, alioqui non eſſet fides iuſtificans. Quid porrò prohibeat, Montaniſtam, Manichæum, Arianum, illam fidem habere? An ideò iuſtus erit? Imò, ne à vobis abeam; iam diſceſſiſtis in ſectas, varias quidem, ſed quibus omnibus hoc idem *de fide iuſtifi-*

ſtificante fundamentum. Num ergo Bruniſtæ, num Anabaptiſtæ ea *fide* in iuſtitiam euadent? ſi euadent; cur de illis vt impijs acerbè queritmini? ſi non euadent; quò illa vis fidei iuſtificantis? Sed requiri dicetis ad illam iuſtitiam, vt homo in vera fide ſit; id eſt, de Deo, de Chriſto, de Eccleſia credat, quod credendum Scriptura præſcripſit. Si ita eſt; Cur non igitur illa, de Deo, de Chriſtò, de Eccleſia fides, dicatur iuſtificans? Certè enim, vt illa (ex veſtra ſententia) non iuſtificat ſine alia qua credam me electum, & à Deo amatū; ita nec iſta de mei electione fides iuſtificat, ſine illa qua de Deo, ac Chriſto quæ credenda ſunt credam. Cur igitur iuſtificationem huic fidei tribuitis, & ab illa remouetis; niſi quòd Deus ne cautè quidem, & induſtriè errare vos ſinit?

Quæ mens autē in hæc verba ſcribenti Apoſtolo? I. Cor. IX. *Caſtigo corpus meum, & in ſeruitutem redigo, ne fortè cum alijs prædicauerim ipſe reprobus efficiar.* An fidei ille præco vera fide deſtitutus? An vos, Sectarij, ſupra illū ſanctitatis eximię? Si Lutheranam, aut Caluiniſticam fidem

ſufficere ad ſalutem ſentiebat; quò illa caſtigatio corporis, & quidem ne reprobus efficeretur? Accedat Paulo Petrus Epiſt.II.Cap.I. *Satagite, vt per bona opera, certam veſtram vocationem, & electionem faciatis.* At cur certam faciatis, ſi iam vobis certa illa, Sectarij? Superuacuum apud prudentes, *ſatagere vt ſit*, quod eſſe iam ſcitis. Cur ſcilicet Petrum, cur Paulum audiatis, qui Lutherum aut Caluinum audiſtis?

Quòd ſi *fides iuſtificans*, eſt credere ſe electum; vbi ergo neceſſaria illa virtus, quæ *Spes* in Scripturis vocatur? Quid, inquam, ſperatis, ſi hoc creditis? cur de medio tollitis hanc virtutem? Neque enim dici poſſunt Chriſtiani, ſperare reſurrectionem carnis, aut ſperare paratam eſſe à Deo felicibus vitam æternam. Hæc qui ſperet, ſit omnino hæreticus; Nam certò ac ſyncerè credenda ſunt. Si igitur & de tua quoque ſalute *in indiuiduo* fidem habes; quò inane ſpei nomen? quàm hanc fruſtra neceſſarijs virtutibus annumerauit Apoſtolus? Referes; Illos qui ex Dei lege hic vixerint, proculdubio vitæ cæleſtis fore participes; ſi es ergo eiuſ-

eiuſmodi, quidni de ſalute iam certus ſis? Egregiam rationem! Nemo mortalis, de quo idem non ſentias: *Si vixerit ex Dei præſcripto, cælo donabitur*. Conditio illa, *ſi*, lata eſt, & quæ nihil conſtituit. Senſum, adiuncta particula, contrarium quidem, ſed æquè verum habet; *Si non vixeris ex Dei præſcripto, tibi in infero ſedes erit*. Iſaac. Caſaubonus, in Epiſt. ad Illuſt. Card. Peronium, Obſeru. I. ſic loquitur. Chriſtiani ſunt *gnari, ſe ante iacta mundi fundamenta prædeſtinatos eſſe (de electis loquor) vt ſint cohæredes Chriſti, &c.* At quàm illa perplexa, & vndequaque labantia! Sciunt quidem Chriſtiani, electos, fore Chriſti cohæredes. Hoc à Chriſto & Apoſtolis didicerunt. Sed ſinguli ignorant num ſint electi: adeò vt falſum ſit, Scripturisq́; repugnans, gnaros hos *in indiuiduo* eſſe, de prædeſtinatione ſua ad vitam.

Nec dixeris, certum eſſe te de via qua graderis; certùm igitur & de exitu viæ. Primùm enim quis te de via certum conſtituit? Dicis, Lutherane, te certum: Atqui præter nos Catholicos, Caluiniſtæ errare te dicunt: Dicis Caluiniſta te cer-

tum; atqui prȩter nos, Lutherani & Anabaptistæ te hæreticum esse non dubitant. Deinde, in recta sis fide; at in rectis moribus, & charitate fortè non eris; sine qua, vt ex Apostolo antè retulimus, ad salutem fides non sufficit. Sed esto. De via sis certus; quod vtique non es: quæ impudentia, vt certum te dicas, te in ea perseueraturum vsque ad mortem? Scripturæ prædicant, testantur, inclamant, multos qui in salutis viam recepti sunt, ab ea aberrare. Quis de cælo Angelus nunciauit, te non fore in erronibus istis, qui multi, qui Deo inuisi? Primo Reg. Cap. XIII. dicitur. *Filius vnius anni erat Saul cùm regnare cœpisset.* Atqui vir erat, & vt ibidem dicitur. Cap. X. *altior vniuerso populo ab humero, & sursum.* sed filius vnius anni dicitur, quia innocens, non secus ac vnius anni puer. At ille qui tot annis Deo placuerat, cuius ad illam ætatem *directæ erant viæ ad custodiendas iustificationes Dei.* fœdè postea aberrauit, Deo inuisus, sceleribus turpis. Dicitur de Ioa. IV. Regum Cap. XII. *Fecitq; Ioas rectum coram Domino, cunctis diebus quibus docuit eum Ioiada. Sacerdos.*

cerdos. Sed post Ioiadæ mortem, *delinitus obsequijs Principum*, pessimè egit. (II.Paralip.XXIV.) occiditq; Zachariam prophetantem. Apertissimè autem Apostolus, ad Galat.V. *Currebatis benè, quis vos impediuit veritati non obedire?* Non igitur regula constans, vt qui rectè inceperit, & desinat rectè.

Quis denique dubitare iam audeat, post liquidam, post apertã Christi sententiã? Ita enim Matth.X. *Eritis odio omnibus propter nomen meum: qui autem perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit.* Et Matth.XXIV. *refrigescet charitas multorum, qui autem perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit.* Quàm hoc frustra, ne grauius dicam, Christus, si omnes qui rectè cœperunt perseuerarent? Si non omnes perseuerant, ergo aliqui deficiunt: si aliqui deficiunt, quo oraculo prænosti, Sectarie, te nunquam defecturum?

Abyssus abyssum inuocat; quo tueamini fœdum errorem peius errastis. Negatis ergo illos qui à Deo, & semita salutis deficiunt, veram fidem vllo tempore habuisse. Num quid autem in Scriras immanius? *Fecitne Ioas rectum coram*

ram Domino omnibus diebus quibus docuit eum Ioiada Sacerdos, & caruit tamen fide? Galatæ, quos *à bono cursu* deflexisse Apostolus scribit, potuerantne *bene currere*, & fidem non habere? Sed nihil insignius Christi verbis, *Refrigescet charitas multorum, qui autem perseuerauerit in finem hic saluus erit*. Peto num illi, quos à charitate abituros, nec perseueraturos Dominus hìc prædicit, cælo potiti essent, si *perseuerassent, nec à charitate abiuissent*. Certè non dubium. Alioqui non in eo constitueretur lapsus eorum, quòd non perseuerauerint; Sed potius quòd non inceperint, neque vnquam rectum iter institerint. Ergo fidem veram habebant. nam absque hac *impossibile est placere Deo*, impossibile cælo frui: & si ea caruissent, nulla *perseuerantia* sedem illis in cælo dedisset. Res etiam Sole illustrior.

Quamuis igitur concederemus, Sectarie, te in vera fide esse, non inde sequeretur non posse te perire. Præterea, si multi qui credebant Deo se charos, qui credebant veram fidem habere, aliquando defecerunt; & quia defecerunt, ex ve-

stra

ſtra ſententia, probatum eſt eos nunquã fidem veram habuiſſe. quis in Scripturis locus te certum conſtituit, nunquam te in ea prolapſurum, in quæ illi prolapſi ſunt; vt ex eo tuo lapſu iudicari mox poſſit, fruſtra te credidiſſe te ſtare in fide? Itaque ſi daremus, fidem ſolam ſufficere, & fidem amitti non poſſe; non ex arte inde colligeres de tua ſalute te certum; quandoquidem certus eſſe non potes, te fidem habere; cùm multi qui reuera exciderunt à Chriſto, non minoribus quam tu modò argumentis credere potuerint in ea ſe ſtare.

Velim præterea dicas, An ſufficiat ad ſalutem, implicita illa fides; *peccata tibi remiſſa, & imputatam Chriſti iuſtitiam:* An explicita requiratur: Vt nempe poſt peccatum elicias eiuſmodi fidei actum. Si implicita ſatis eſt; ergo vbi in peccatum incideris, abſque vllo pœnitentiæ actu, abſque vllo dolore de peccato, donatur tibi crimen; quia ſcilicet fidem illam implicitè, & *habitualiter* habes; *non imputari tibi peccata:* Et hoc credere, quid eſt aliud quàm turpiſſima inuolui blaſphemia? quàm Dei iuſtitiam habere

ludibrio? Sin requiri hanc explicitè fidem exiſtimas; vnde tibi conſtiterit, te poſt peccatum aliquod, priuſquam hac fide iuſtificatus ſis, non aliquando moriturum, vel violenta, vel ſubita morte? Quòd ſi ſic mori potes, quàm iniqua & vana ſuperbia in electis pro certo te numeras; qui reprobus eſſe potes, & cum peccato, abſque iuſtitiæ imputatione decedere?

Sed nihil apud vos ſunt tam liquida à Scripturis, ac rationibus argumenta. Vultis errare. Cæcitas eſt, quæ vobis ad Chriſtiani Orbis ſtuporem incubuit, quæ ſolicitudinem de ſalute, pœnitentiã, gehennæ timorem, vt inuiſa vocabula ad nos ſcilicet Papiſtas amandat. Credetne poſteritas auſum ex Sectarijs vnum ita loqui Sereniſſimo Britanniarum Regi: Neſcio vtrum Virgo Maria ad ſalutem peruenerit, at me peruenturum certiſſimè ſcio?

Porrò ſcrutemur quò hęc monſtra perueniant. Nullus his modus. Aiunt nempe Sectarij, fidem ſolam ſufficere; de fide eſſe ſe certos, ergo & de ſalute. Pergunt: & omnia hominum opera eſſe peccata

pronunciant. ſed peccata omnia Electorum (quales ipſi ſe dicunt) venialia eſſe. Ad quam licentiam hęc ſpectent, ipſa res prodit. Lutherus, in Aſſert. Artic. XXXII. ſcribit, *opus bonum optimè factum, veniale peccatum eſſe ſecundum miſericordiam Dei; ſed mortale peccatum ſecundum iudicium Dei*. In illud hodie Sectarij conſentiunt, *omne hominis opus eſſe peccatum*. At hæc crudelis opinio, quæ innato hominibus ſenſu ſatis arguitur, in Scripturas etiam pugnat. Vt enim miſericors Deus ſit, & veniam peccatis indulgeat; ita nunquam peccatis delectatur. Atqui ſe multis hominum operibus delectatum aſſeruit. Ergo illa opera peccata non erant. Geneſ. VIII. vbi de ſacrificio Noës, *odoratusq́; eſt Dominus odorem ſuauitatis*. at quæ in peccato ſuauitas? certę enim Noës opus, non victimarum nidorem odoratus eſt Deus. Item Geneſ. XXII, ad Abraham: *Quia feciſti hanc rem, & non peperciſti filio tuo vnigenito propter me, benedicam tibi*. Dixeriſne, Sectarie, hoc opus fuiſſe peccatum, quod tantopere placuit Deo? Nihil frequentius in Scripturis, quàm, *fecit rectum co-*

ram

ram Domino; *fecit rectum in oculis Domini*; *studiosè egisti quod rectum erat, & placebat in oculis meis*; *placuit sermo coram Domino*. An rectum coram Domino est peccatum? an in oculis Domini placet? Sed & cælum peccati præmium erit, si omnia opera sunt peccata. Non enim in fidei tantùm, sed operum quoque mercedem, Christus cælum electis adiudicabit. Disertè hoc ait Matth. XXV. Et Psalmista, *reddes vnicuique iuxta opera eius*. & Ioan. in Apocalyp. *Beati mortui qui in Domino moriuntur, &c. opera enim illorum sequuntur illos*. Sed & Euangelium prædicare, & martyrium patienter tolerare, peccatum dicendum est, si omnia opera sunt peccata; imò ex Iustitia Dei (si Sectarijs est credendum) hæc opera sunt peccata mortalia, & per hoc non cælo, sed inferis digna. Vanum sit in absurdissimas nugas plura dixisse.

At omnia opera, peccata vtique sint, an non sint, inquies; Electorum nil interest (quales Sectarij esse credunt.) quandoquidem, omnia eorum peccata sunt *venialia*, omnia reproborum *mortalia*. Imò interest multùm, ad gloriam Dei,

Dei, & stimulos benè viuendi. Nam si quædam sint opera, quæ peccati sordibus non sint infecta, maiori studio, atque curæ res erit bonæ mentis mortalibus, vt ad recta se applicent, & peccata declinent, quàm si adeò omnia opera sunt peccata, vt quicquid egerint peccent. Sed est præterea perniciosissimi erroris sententia, omnia electorum peccata venialia, omnia reproborum mortalia esse. Et commentum facili distinctione dilueris. Si venialia appellas quæ morte quidem digna, tamen veniam consequentur; certum quidem omnia Electorum peccata, etiamq; grauissima, in hanc sortem, nomenq; ventura: Sed è contrario falsum omnia reproborum esse mortalia; Neque enim *damnabuntur* ob verbum ociosum, vel negligentiam leuem, vel aliam culpam ex illis, quas *veniales* vocat Ecclesia. Sed non ille est Sectariorum sensus. Volunt igitur non esse in peccatis discrimen eiusmodi, ex natura ipsorum peccatorum; vt mortalia aliqua & inferis digna; alia venialia, & temporali pœna luenda sint. Sed ex genere suo, peccata omnia esse mortalia; vbi autem indul-

indulgere vult Deus, venialia omnia esse. ideoq; quicquid agant Electi non plus quàm venialiter peccare; quicquid præscij agant in mortali culpa esse. Quid hoc autem nisi cælum inferis permiscere, nisi audaciam peccandi facere omnis sortis Sectarijs? Cùm nimirum intelligant aliqua esse peccata à quibus non abest hnmana fragilitas, rursusq; doceantur se Electos, ideoq; sua peccata vnius generis esse (venialia nempe) imò quicquid egerint venialiter se peccare, & mortaliter peccare non posse; cur magnopere illis curæ sit, quomodo, aut quid peccent?

Ecclesia verò Catholica in *peccatis* ita distinguit, vt quæ contra diuinam legem sunt, ea dicantur mortalia, ea sint inferorum ignibus digna. Quæ autem leuiora, & magis præter Dei voluntatem, quàm contra illam facta, venialia appellentur. *peccata* haud dubiè, quoniam à norma deflectunt, & plecti merentur; sed venialia, quia non perpetua ira Domini digna, sed veniam post aliquod supplicium acceptura. Vnde hæc nobis distinctio si quæris; A ratione, à Scripturis, à

Pa-

Patribus, ab authoritate Ecclesiæ. Nam quis sani iudicij putet verbum ociosum ab homine pio prolatum, ab homine Deum amante, æternis ignibus, æterna Dei ira, plectendum? Cælestis misericordiæ sit ignarus, qui adeò trucem Deum effinxerit. Peccatum tamen est, & Christo iudice, *ratio de eo reddenda est*. In odio præterea, in ambitu, cæterisq; sceleribus, cùm stimulos admouet caro, mundus, aut dæmon, quidni possimus non consentire quidem omninò, sed negligentius tamen illos, frigidiusve repellere? Atqui negligentiam illam ac frigus, si nullo modo peccatum esse dixeris, erres: sin capitale hoc putes, & eadem æternitate pœnæ dignum, quo fuisset absolutus in hæc quæ suggerebantur mala consensus, ineptè quoque erres. Hoc ipsa ratione, hoc natura dictante accipimus. Eiusmodi porrò sunt ea peccata, quæ venialia appellamus, verbere digna non morte, castigatione Domini, non inimicitijs, vindicanda.

Et is omnino Scripturarum est sensus, quæ nunc omnibus hominibus inesse peccata asserunt, nunc aliquos iustos vocant.

cant. Nimirum quia venialia illa, peccata quidem ſunt, ſed nec à gratia Dei excludunt, nec iuſtitiam ad ſalutem neceſſariam tollunt. Et verba ocioſa, peccatis eædem Scripturæ annumerant, non quòd inferis digna, ſed flagello leuiori: Vt eleganter Hieronymus docet, Aduerſ. Iouin. Lib. II. *Sunt peccata leuia, ſunt grauia. Aliud eſt decem millia debere, aliud quadrantem. Et de ocioſo quidem verbo, & adulterio, rei tenebimur: Sed non eſt idem ſuffundi, & torqueri; erubeſcere, & longo tempore cruciari.*

Neque res tantùm, ſed & verba, ex priſcæ Eccleſiæ diſciplina. Meminit de mortali & veniabili peccato Ambroſius, Comment. in Cap. IX. Lucæ. *Si peccatum mortale commiſeris*, inquit, *portas mortis intraſti.* Sententia prorſus noſtra. & ex Ambroſij ergo mente, peccata ſunt aliqua non mortalia, quæque non ducant ad inferi portas. Idem in XXIV. Lucæ. *Ergo veniabilis error mulieris, quæ licet dubitare non debuit Chriſti corpus per gloriam reſurrectionis aſſumptum, doceri tamen geſtit à Chriſto.* De eiuſmodi peccatis Auguſtinus, in Enchiridio, Cap. LXXI.

De

De quotidianis autem, leuibus, breuibusq; peccatis, sine quibus hæc vita non ducitur, quotidiana oratio fidelium satisfacit. Quid quod Nouatiani, qui remissionem peccatorum à Sacerdotibus expectari nolebant, non de omnibus peccatis loquebantur, sed de peccato tantùm eiusmodi, *quod Sacrosanctæ Scripturæ peccatum ad mortem appellant*? vt Socrates refert, Lib. I. Hist. Cap. VII. Atqui nunquam Ecclesia Nouatianos erroris redarguit, quòd eiusmodi in peccatis discrimen statuerẽt; sed tantùm, quòd aliqua omnino peccata à iurisdictione Sacerdotis exciperent.

Ab ipsis denique Sectarijs peto, num peccata aliqua esse credant, in quæ prolabi possint, absque quod fidem illam suã iustificantem amittant. Id verò non negabũt. Alioqui cùm omnia opera credant esse peccata, sequeretur, statim ac aliquod opus edunt, eos à fide excidere. Rursus ab ijs quæro: num & peccata sint aliqua eius generis, vt homo non possit, & ea & illam fidem simul habere; id est, quæ expellant, aut destruãt fidem. Si nulla sunt; sequitur ipsos (aiunt enim sibi fidem inesse, eamq; sufficere) liberè, atque impunè inter adul-

teria posse, inter cædes, inter furta versari. Si sunt aliqua; ergo fatentur ex ipsa natura peccatorum esse quædam venialia, quæ nec fidem destruant, nec obstruant cælum; *mortalia alia*, quæ (ex eorum sententia) à fide, & gratia Dei excludant.

Nolunt tamen hæc audire Sectarij; & potius peccandi libertatem, quàm peccatorum distinctionem admittunt; adeò vt Lutherus, (vt ante iam diximus) fidelem hominem neget, etiamsi maximè velit, posse perire, nisi velit *non credere*. Vide autem, quod ex istarum hæreseon impietate consequitur. Electis omnia peccata sunt venialia. Sectarij isti certi sunt se esse electos. Ergo illis omnia peccata sunt venialia; id est, quicquid peccent non possunt à salute excidere. Quid dirius vlla vnquam impietas inuenit?

Nec reponas, Sectarie, abhorrere te à tam infami licentia: Scio quàm multi inter vos indolis sanioris; quàm multi ignorent, aut horreant ad hæc ipsa suæ sectæ deliria. Sed vel inuitos tamen polluent sceleratæ sententiæ, nisi ab ea religione

rece-

receditis, ex cuius disciplina necessariò consequuntur. Nam vt dicas, tibi peccandi indulgentiam non placere; at fatendum est, vel te certum de salute non esse, (id est tę à Protestantibus tam Lutheranis, quàm Caluinistis dissentire.) Vel esse saltem certum, nunquam in grauia peccata te esse lapsurum; qua de re non Moses certus fuit, non Dauid, non Petrus Apostolus, vt probauit euentus. Vel denique quamuis grauibus flagitijs implicerís, nihil hoc de salutis certitudine delibaturum. quę feralis opinio, & corrumpendo populo nata, omnis impietatis culmen profana immanitate constituit.





CAP. V.

De Operibus Supererogationis. De pijs operibus ab Ecclesia præceptis: Ac præsertim de Quadragesimali ieiunio.



N Psalmis est, ***Diuerte à malo, & fac bonum:*** In huius seculi hæresi, nec necesse à malo diuertere; cùm de electione certi sint, ac proinde de venia; Nec bonis operibus insudare; cùm non ex operibus, sed ex sola fide electi ***iustificentur***. Nolunt igitur vlla opera ***meritoria*** appellari; Negant etiam ***supererogationis*** nomen actibus vllis nostris, sine grandi in Deum iniuria tribui posse. Non opus hìc multis, cùm se istæ hæreses sua absurditate conficiant.

Sentit igitur sancta Ecclesia, debere

hominem,

hominem, & diuinæ gratiæ ope posse, legem sanctam ita implere, vt delicto mortali sese nunquam inficiat. & quamquam obeundis his mandatis dicere debeat, *quod debui facere feci*; ex promisso tamen Christi, ac veluti pacto, in iusti officij præmia cælum expectet. Præterea sentit Ecclesia, opera aliqua esse quæ non imperet Deus, sed suadeat; quæ omissa non nocent, & prosunt admissa. Et hæc opera, *supererogationis* appellamus: quia in pietatis officia liberè erogamus aliquid *super* ac *præter* hoc ad quod lege adigimur. Rident illa Sectarij. Nam quod opus meritorium putent, qui opera omnia, esse peccata asseuerant? quid supererogare hominem posse, cui Liberum Arbitrium detrahi volunt?

Sed patiantur sequestrum inter nos Christum; aut verius quæsitorem. Audiant distinguentem inter opera imperata, ac libera: Matth. XIX. *Si vis ad vitam ingredi*. Et, *Si vis esse perfectus*. Vt ad vitam ingrediamur, edicit vt *mandata seruentur*. Ad perfectionem consulit, *omnia vendere, ipsum sequi*. Ergo sunt opera aliqua Deo grata, ad quæ tamen nulla

lege, aut precepto adigimur; quandoquidem absque his, ad vitam ingressus nobis patet. At quis neget, quò Deo erimus in terris gratiores, eò & futuros prouectiores in cælis? *Beati mortui qui in Domino moriuntur, &c. Opera enim eorum sequuntur eos*. Ibidem Christus docet, esse quosdam Eunuchos, *qui se castrauerunt propter regnum cælorum*. & addit; *qui potest capere capiat*. Eadem Apostoli sententia est. I.Corinth.VIII. *qui matrimonio iungit virginem suam benè facit: & qui non iungit melius facit*. At quam frustra, vt de re grandi diceret Christus, *qui potest capere capiat?* Quàm frustra Apostolus, *qui non iungit melius facit?* nisi hoc plus Deo placeret; nisi in cælo constitueretur amplior merces eo modo in terra viuentibus?

Quidam hæc argumenta sic volunt eludi, vt dicant, ex Christi & Apostolorum seculo metienda illa Christi consilia. Tunc quippe consultum Christianis, vt omnia venderent, & à nuptijs abstinerent; Posterioribus seculis mutata rerum sorte, vana hæc esse. At vt falsa illa solutio, ita prorsus ridicula; cùm hoc loco non

que-

quęramus vtrũ illa ipsa consilia, etiamnũ hoc æuo perdurent; sed vtrum sint aliqua supererogationis opera, id est, quæ non implere necesse sit, & eos tamen qui illa impleuerint gratiores Deo efficiant. Id sic esse, ex Scripturis liquidò constat, in quibus eiusmodi opera commendari videmus, vt ad pietatem, perfectionemq; valentia, quæ non necessaria quidem sint, sed salubria tamen, Deoq; pergrata. Audi porrò quis de ea re Hieronymi sensus, in Epistolá ad Philemonem. *Si autem Philemon hæc ad hominis præceptum facit, quanto magis faciet ob dilectionem Dei? Vnde meritò Apostoli voce laudatur, quòd mandata eius opere præuertat; & possit dicere: Voluntaria oris mei complaceant tibi Domine, plusq; faciens quàm præceptum est, vincat eos qui tantummodo imperata fecerunt, & iubentur dicere, Serui inutiles sumus, quod debuimus facere fecimus. Virginitas quoque propterea maiori præmio coronatur, quia præceptum Domini non habet, & vltra imperata se tendit.* Eadem est Augustini sententia, Ad Hilarium, contra Pelagianos, & Manichæos. Epist. LXXXIX. *Magi-*

ster

ster bonus mandata legis ab ista excellentiore perfectione distinxit. Ibi enim dixit, Si vis venire ad vitam, serua mandata: hic autem: Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, &c.

An putas in re tanta si errasset Augustinus, si errasset Hieronymus, non Ecclesiam præstò futuram, qua aut corrigeretur, aut contumax damnaretur? Credisne laturum impunè Ambrosium, cùm tam multus de *merito* esset? In Cap. V. Lucæ. *Ieiunant hi quibus abest Christus, quique bonorum meritorum copijs egent.* Epist. XIV. *Vitam istam corporis potes eripere, meritum non potes extinguere.* Neque figuratè, aut impropriè vsurpatum hoc *meriti* nomen. August. Lib. IX. Confess. Cap. XIII. *Quisquis autem, ò Deus, tibi enumerat vera merita sua, quid tibi enumerat nisi munera tua?* En verò, Sectarie, esse quidem ex munere Dei, vt merita habeamus (nam quid boni, nisi illius gratia, sit in nobis?) Esse tamen *merita* illa, & merita quidem *vera*. Plura ex Patribus non refero. Seu Græci, seu Latini fuerint, plena his eorum volumina.

Quòd

Quòd si neque Scripturis, neque Patribus, manus das. At vt homo es, saltem in consilium adhibe rationem. Oratio, & Eleemosyna commendantur à Domino. Hoc tu non negas. Post assuetas igitur preces, aliquis orationis locum repetat, & diutius Deo vacet. Peto à te quale hoc opus; bonum, an malum? Non audebis malum dicere. Bonum sit ergo. At cuius bonitatis? Necessariæ ad salutem? Neque hoc dixeris. Nullo enim Dei præcepto ad illud homo iste adigebatur. Ergo *supererogationis* opus est; & quoniam bonum, præmio non carebit. Eleemosynis quas constituisti erogare defunctus sis. Occurrat deinde egenus, non in illa suprema egestate, cui omnes tenemur subleuandæ, sed vt quotidie mendicos aspicimus; non necesse ad salutem, vt huic sis munificus. Nam vt habet Apostolus. II. Cor. IX. conferat eleemosynas *vnusquisque prout destinauit in corde suo, non ex tristitia, aut ex necessitate*. Si tamen *seminare in benedictionibus* volueris, & illi porrexeris stipem, nonne pietatis hoc fuerit? aut nunquid mercede carebit apud Dominum, qui etiam

calici aquæ frigidæ mercedem constituit. Matth.X? Atqui nihil aliud intelligit Sacrosancta Ecclesia per supererogationis opera, in quæ sæua & effusa audacia soletis irasci.

Duæ sunt autem, præter expressa Dei præcepta, apud Catholicos bonorum operum classes. Prima est rerum quas ex præcepto obseruandas Ecclesia Christianis imposuit; vt est quadragesimale ieiunium, certorum dierum abstinentia, feriarum festiuitas. Aliam laudat, non vrget Ecclesia. monet, hortatur, non cogit, non adigit. In secunda hac classe, religiosa vota sunt, castitas, obedientia, ac paupertas: macerandæ carnis artes, ieiunia, flagella, cilicium; alendi spiritus ratio, multa eleemosyna, frequens Oratio, frequens Communio, abdicatio voluptatum: & quę cætera vel pietas inuenit, vel suggeruntur ex tempore forte. Primam classem supererogationis non dixeris, cùm ad illam Ecclesiastica lege cogamur. Illi tamen propugnandæ ideò locum hunc feci; quòd à Sectarijs vno contemptu rideantur, tàm quæ laudat, quàm quæ iubet Ecclesia, in seueritatis disciplinam; præter illa quæ di-

ſertè Scripturæ pręcipiunt: Ac quòd pręterea Eccleſiæ ea mens fuerit in ferendis his legibus, vt ſi ignauia ſoluti Chriſtiani à bonorum operum auſteritate recederent, at pro fræno aliqua eſſent, ad quæ ſaltem tenerentur. In ijs quia nihil ieiunio quadrageſimali celebrius, de illo potiſſimum videamus.

Quadrageſimale ieiunium ab Eccleſiæ primordio inſtitutum, adeò ſanctum antiquis, ac celebre fuit, vt nec hæreticorum vanitas, quem illi authorem faciat, aut in quod ſeculum referat eius ortum, adhuc ſatis deliberauerit. Sed vtcunque ſentire tandem velint, à te percunctor, quiſquis voles iudicio non affectu rem metiri Sectarie, vtrum putes Caluinum, aut Lutherum, aut te ipſum, hanc rem ſcire peritius, quàm S. Hieronymum, antiquiſſimũ ipſum, & vlterioris antiquitatis maximè curioſum. Atqui ſic ille, Ad Marcellam, Aduerſ. Montanum hæret. Epiſt. LIV. *Nos vnam Quadrageſimam ſecundum traditionem Apoſtolorum, toto anno, tempore nobis congruo ieiunamus. Illi* Montaniſtæ *tres in anno faciunt quadrageſimas, quaſi tres paſſi ſint Saluatores. Non*

quo & per totum annum, excepta Pentecoste ieiunare non liceat; ſed quòd aliud ſit neceſſitate, aliud voluntate munus offerre.

Iterum ad Sectarios prouoco, in quibus iudicium non omnino deleuerit ſuarum partium amor. Satis hic locus vt ipſi ſe damnent. Quippe non ſuos, ſed Eccleſiæ ſenſus, quales ætate ſua fuerint, exponit Hieronymus. De diſcrimine enim agit, quod inter Montaniſtas, atque Catholicos. Illi plures Quadrageſimas imperabant; At vnicam ab Eccleſia præcipi, ita vt neceſſariò obſeruanda ſit, Hieronymus docet. Quòd ſi erant Mõtaniſtæ hęretici, quia plures Quadrageſimas imponebant; nonne & hæreticus Hieronymus, qui vel vnam ab Eccleſia impoſitam, & neceſſariò obſeruandam aſſeruit; ſi reuera res ita non habet, nec Quadrageſima eſt ab Eccleſia legitimè inſtituta, & ex neceſſitate præcepti obſeruanda fidelibus? At quis illius æui propterea Hieronymum accuſauit? Is ne neſciret quid ſuo ſeculo ſentiret Eccleſia? An prolixè & impudenter mentitum exiſtimes? Ieiunij Quadrageſimalis originem, ad Apoſtolos refert; obſerua-

ſeruationem, ad neceſſitatem. Et tu nouitie, tu incredule, hanc illius Eccleſiæ mentem ſpernas, hanc rideas & violes legem? Aequæuus Hieronymo Ambroſius, ecce quid ſenſerit, Serm. in Quadrag. Dominic. Prim. *Sicut reliquo anno ieiunare præmiũ eſt, ita in Quadrageſima non ieiunare peccatum eſt. Illa enim voluntaria ſunt ieiunia, iſta neceſſaria; illa de arbitrio veniunt, iſta de lege; ad illa inuitamur, ad iſta compellimur.* I, nunc Sectarie, & perplexè philoſophare, primùm an aliquid poſſit imperare Eccleſia; tum an Quadrageſimæ ieiunium imperarit. Reſpondebit Hieronymus, reſpondebit Ambroſius, ita Chriſtianos ſuo ſeculo crediddiſſe, ita à Patribus accepiſſe: Nempe ex neceſſitate ſalutis obſeruandas Eccleſiæ leges, & in illis legibus eſſe, vt Quadrageſimæ tẽpore ieiunent Chriſtiani. Neque hi tantùm Patres, ſed & cæteri omnes, ſed & multa Concilia, quæ, vt intra compendium me teneam, iam ab alijs exſcripta omiſerim. Addam vnam Auguſtini ſententiam. Serm. LXII. de Tempor. *Alijs diebus ieiunare remediũ eſt, aut præmium; in Quadrageſima non ieiunare peccatum eſt.*

At

At verò Sectarij hac ætate quàm longè vbique ab illa ſententia? Abſtinentiam hanc rident; nos infamant hæreſeos, quaſi impuros cibos Iudaico more dicamus, aut vt ludicræ ſimplicitatis homines rident, quòd Eccleſiæ leges obnoxijs ceruicibus ferre velimus. A ratione, à Scripturis, Quadrageſimam conantur euertere; ſed multò vehementius ipſo vſu oppugnant. Quippe in pietate illis eſt tunc carnibus veſci: ad ſuperſtitionem reuocant noſtrum morem, id eſt, Apoſtolicæ morem Eccleſiæ. Pauci inter illos modeſtiæ ſuæ imputant, non offendere tunc carnium eſu Catholicorum oculos cum quibus mixti degunt. Alij ad regionis vtilitatem eo tempore gregibus & armentis parci volunt. Sed quod ad rei ſummam eſt, nec ſe ad illa ieiunia, nec Chriſtianorum vllos teneri exiſtimant. Et inter hos mores, ſe cum antiqua Eccleſia conſentire iactitent, & in ea fide eſſe qua Patres antiqui? ò laruæ, & in fraudem inductorum inſania!

Iactant tamen Angli miniſtri (Nam quid miniſtros pudeat?) apud ſe Quadrageſimā obſeruari; feriam quoque ſextam, & Sab-

& sabbatum. Ea arte si quis eos hæreseos & impietatis arguerit, quòd ieiunia iam ab ipso Apostolorum æuo decreta resciderint; negant se eam partem Ecclesiásticæ abiecisse disciplinæ; Ita externis persuadent se religiosè colere, quæ fœdè profanant. Primùm enim quòd ad quatuor Quadragesimę primos dies, publicè, atque absque discrimine, carnes in omnibus macellis venales sunt. Postea, ad politicum Regni bonum, interdictum bubulam, ouillamq; prostare. Sed gallinaceum omne genus, columbasque, atque cuniculos, & diuersi generis aues, impunè, liberè, publicè, vendunt, comparant, edunt. Id verò vocatis ieiunium? An indicta Quadragesima pauperibus tantùm, quorum census ad eiusmodi delicias non pertingat? Sed & hominibus fortunæ minoris, bubula sale condita fastidium pisciũ, vt plurimùm leuat. Quòd si qui inter illos à carnibus abstinent; at certè ieiunare tot dies illis adeò extra vsum, vt ex aliquot Protestantium millibus, vix hoc vnum implere crediderim. Qui hi ludi? *Vsquequo claudicatis in duas partes?* Si Quadragesimale ieiunium, iam ab anti-

qua Ecclesia, antiquisq; Concilijs, indictum legitimè, & à Christianis receptum est, cur id porrò violatis, cur temeraria gula polluitis? Si creditis esse has nugas; cur quotidianis sermonibus, cur editis libris, falsò iactatis, vos Quadragesimæ esse cultores?

Iam autem toto anno feriam sextam, quæ dies Veneris appellatur, quanto contemptu profanant omnium carnium esu? Tam liberè in Anglia illo die, in diuersorijs, domibusve priuatis, tostas carnes, elixasq; aspicias, quàm si Iudæi aut Turcæ prouinciam obtinerent: imò hilarius conuiuia non exercent, omni dapum luxuria, quàm eiusmodi luce; & proh pudor! in ipsa Parasceue testis sum eo more agitata conuiuia. Et ea quidem omnia Londini licenter, sed multò licentius in oppidis, vrbibusque cæteris vbique in Anglia.

Hoc ignorare crediderim Serenissimum Regem; & id ipsum fortè legenti, pessimi adulatores astabunt, qui rideant, qui mendacij istam chartam mendacissimi ipsi insimulant. Nam quoties Principi tanto commentitia, atque inania ipsius

ſius bonitate freti obijciunt? Quod ſi fortè de hac impunitate veſcendi, quàm hìc cum gemitu arguo, quaſi de calumnia ridebunt, audiat me abſentem Magnus Rex, nec vllam infamiam, aut etiam ſupplicia deprecantem, ſi aliquid ſupra verum perſcripſerim. Plus decennio illic vixi. *quæ vidimus ea teſtamur, ac loquimur*. Scio aliquos ab hac gula refugere. Adhuc auribus meis inſonat vòx doctiſſimi eorum quos Epiſcopos vocant (ex hac nota hominé facile noris) qui inter priuata colloquia, nulli ſe Catholicorũ cedere in obſeruanda Quádrageſima, cæteriſq; ieiunijs aſſeuerauit. At *quid inter tantos* hi pauci? E plurimis millibus vnus hic erit. Et hic de licentia publica loquor, qua in diuerſorijs, ciuiumq; ædibus, vix aliquid de culinæ apparatu feria ſexta mutari aſpicias: Niſi quòd in pleriſque domibus eo die, quò ſumptibus parcant, incœnatam familiam cubitum mittunt, ex antiquiſſimo more, quo illic ea feria ieiunio tranſigebatur. Quòd vt parcendis iam ſumptibus fieri ſcias, vidi ego, his oculis inquam vidi, heros carnibus ſaturari, dum hoc interim ieiunio familia maceraretur.

Pudet hos tamen quod res est confiteri, se lubrico gulæ, & difficultate ieiunij, à Quadragesimæ obseruatione esse repulsos. Aiunt itaque, idq; cum fastu, in Quadragesima nostro more ieiunare, facilem quidem rem, sed superstitiosam, aut nugarum plenam esse. Ita videri ambiunt ab obseruandis ieiunijs, non difficultate, sed ratione esse abducti. Ex Angliæ pseudoepiscopis vnum, festis Christi natalibus, quo potissimum tempore solet Anglia ventri vacare, in aula splendidè epulatum, vidi pleno abdomine ridiculam de hac Quadragesimali pœnitentia ferre sententiam. Is enim, vt in Regijs interdum fit, vix ante vesperam de prandio surgens, cùm ad Regem circa noctem redijsset, fortè fuit vt de Quadragesima mentio incideret; Ac tum ille, Quid, inquit, cum Quadragesima sua, ò Rex, Papistæ isti volunt? quid in eo arduum? quid seuerum? Certè ego nec heri cœnaui, nec cœnaturus sum hodie, ac fortasse nec cras cœnauero. Vbi verò ad hæc verba Democritus? Tu, mi vir, tu epulis satur, tu ventre distento prandij escas necdum vesperi decoxisti. Ita vno, aut alte-

ro forſitan die à ſerotino paſtu ſtomachus horret. & ideò credas magni momenti rem non eſſe, quadraginta diebus à carnibus, ab ouis, à cœna abſtinere? nec ſtomachi rationem habere, ſed præcepti; nec eligere dies, ſed prẹſcriptos, ſed continuatos accipere? Neque tamen de onere querimur. *Suaue eſt Chriſti iugum.* Sed illa ſuauitas, atque facilitas, potius ab ope cæleſti eſt, quàm quòd ipſa res ardua per ſe non ſit. *Non in ſolo pane viuit homo, ſed in omni verbo, quod procedit de ore Dei.*


Dicant porrò hi in Britannica aula Miniſtri, qui tota Quadrageſima, qui omnibus ferijs, carnium eſu veſcuntur, cibis nempe de regia menſa ſublatis; Creduntnè ſi Conſtantini, ſi Theodoſij tempore, ex Epiſcopis aut Sacerdotibus aliquos eadẽ licentia fregiſſet, nõ hos ſtatim excommunicationis gladio intemperãtiæ pœnas fuiſſe daturos? Si hoc negant, vt in fide peruerſi ſunt, ita in hiſtoria ignaros eſſe oporteat. Nec cautio profuiſſet cuiuſdam ex iſtis ridicula, qui feria ſexta coqui carnes apud ſe quidem non vult; ſed piſtoria opera quæ in multos dies ſeruan-

tur, aut frigidas à pridiana cœna epulas; inferri mensæ sinit; quasi coquis inducias Ecclesia, non abstinentiã ventri indixerit. O insana commenta hæreseos!

De cæteris quæ ab Ecclesia imperantur eadem est ratio. Nam si Quadragesimam potuit nobis imponere: quidni & cætera? Si non Ecclesiæ est parendum, errauerunt omnium ætatum Christiani. Si parendum, nihil superest, nisi vt quæramus quid imperet.

Iam verò de altera bonorum operum classe dicendum est; quæ ab Ecclesia laudantur, non iubentur.





CAP.



CAP. VI.

De Religiosa Monachorum disciplina. De Cælibatu. De cæteris modis, quibus Catholici carnē domitant. Quàm multùm in ijs euertendis Sectarij peccent.



ATHOLICORVM pietas *vltra imperata se tendens*, vt Hieronymus ait, spontanea disciplina cupiditates animi, aut corporis licentiam frangit. Hinc Monachorum vota omni Ecclesiæ æuo laudata; hinc priuatorum studia, Dei iram, ieiunio, cælibatu, cilicio deprecantium. Hæc omnia non placent Sectarijs; siue quò in Monasteriorum bona inuadant, siue vt omni austeritate detersa, *animales homines* faciliori arte deuinciant. Dicant porrò quid in Monachis, quid in Religiosis, tam acri-

ter illos offenderit. An mores, an fides, an institutio denique ipsa, genusque viuendi? Si dixerint, mores; vt fateamur aliquos non ex præscripto vixisse; at quot erant intemeratæ vitæ, quorum monasteria solo æquarunt, corpora in exilium, aut crucem egerunt? Carthusianos numerem? an Francisci de Paula discipulos? Imò ex omnibus Ordinibus viri probati, viri sanctitate clarissimi. Si dicent, *fidem* in illis displicuisse, non propterea purgauerint sacrilegij crimen. Esto enim; mores ac fides displicuerint. At cur monasteria euerterunt, ac non potius immissis hominibus, quos moribus, ac fide purgata crederent, in melius restituerunt? Dei cõsilio factum, ne hodie hæretici, vel ipsa specie, in seueram disciplinam se traderent: Adeò vt vel illis fatendum sit, deesse inter ipsos qui hac selectiori vita sint digni (quales nullis antea seculis in Ecclesia defuerunt) vel certè se non modò moribus, fideiq; Religiosorum, qui inter nos hodie viuunt; sed & ipsi religiosæ vitæ esse iratos. Religiosam porrò vitam, monasticam, eremiticam ita celebrant prisci Patres, ita commendant antiqua

Con-

Concilia, vt vel hoc ipso certum sit ab illorum Conciliorum, Patrumq; sententia deflexisse Sectarios.

At quàm frigidè Sectarij se excusant! Aiunt superuacua ista nunc esse. Quippe flagranti tyrannorum sæuitia fugisse in deserta Christianos. Et hinc Monachis, Eremitisq; esse originem. Nunc in Ecclesiæ pace, quid opus eiusmodi secessione? Imò, Sectarie, quid hic opus vestra censura, quæ aut ignoratione constat, aut fraude? Non enim dubium, Christianorum aliquos metu tyrannidis deserta incoluisse; Sed & certum, plerosque Monachorum Authores ac Patres, nullo metu, sed tantùm vt Deo syncerius fruerentur, abdicatis mundi curis ad vitam eiusmodi secessisse; Ideoque placidissimis Ecclesiæ rebus, aucti sub Constantino olim, cæterisq; Orthodoxis Principibus, Monachorum hi cœtus, & ab Ecclesia probati, à Patribus commendati. Celebris S. Basilij Magni Epistola, qua S. Gregorium Theologum ad eremum inuitat, num causam secedendi designat in tyrannorum sæuitia, in persecutionis periculis? Nihil minus. Aliæ illi causæ; fugere mundi ille-

lecebras, tumultum negotiorum, domesticæ rei curam.

Sed quoniam hi nostri Nouatores Augustinum venerari se iactitant; is magnus mihi hìc author, quid de Religiosa ac Monastica vita censendum sit. Passim quidem, de Monachorum sanctitate ac laudibus; sed eximiè Lib. De Morib. Eccles. Cathol. Cap. XXXI. Ibi Monachos vocat, *perfectos Christianos*, ibi eorum instituta, ac vitam, laudibus in cælum attollit. Atqui tunc nulla erat Tyrannorum in Christianos crudelitas. Plures tunc quàm hodie Orthodoxæ in Orbe Ecclesiæ. Christianorum Oriens, Christianorum Occidens erat. Nec dixeris, veteres fortasse tunc Monachos, qui in solitudine consenuissent, necessitatem quæ sub tyrannis fuerat, tandem mutauisse in naturam; & in eiusmodi vita sponte mansisse quam coacti essent ordiri. Non enim tantùm Monachos suo æuo restare, sed augeri perscribit Augustinus, signanterque *eorum multitudinem per totum Orbem in dies magis, magisq; diffundi*.

Audis, Sectarie? *Diffundebantur* Augustini seculo monasteria, & diffundi læ-

taba-

tabatur Augustinus (nam hoc refert gratulabundus Ecclesiæ) numeroq; hominum ita increscere, vt in aliquibus *tria Monachorum millia essent*, in alijs etiam plura: Et disertè *per totum Orbem diffundi*. Non enim in solitudine tantùm, sed in ipsis Prouinciarum visceribus, in media celebritate hominum, monasteria tunc extructa. Mediolanum in Italia, in Gallia Treuerim, Imperatorum Aula tunc haud rarò nobilitatas vrbes, sub ipsa mœnia, monasteria habuisse idem ostendit Lib. VIII. Confess. Cap. VI. Iamq; eo tempore, Monachos vocitatos esse *fratres*. Nam de Mediolanensi monasterio: *Et erat*, inquit, *Monasterium Mediolani, plenum bonis fratribus, extra vrbis mœnia, sub Ambrosio nutritore*. Quid putas, Sectarie? An illi Monachi, vt laterent, ac *persecutionem* fugerent, conueniebant publicè, in pacatis, in clarissimis vrbibus, in mortalium summa frequentia? An desertum Mediolani erat? An Magistratuum oculos fugiebant, qui sub ipsa mœnia, domo ad hoc extructa, publicè multi simul, publicè ab Episcopo alimenta expectabant? Si mos ille monasterio-

rum

rum pius ac ſanctus; vos impij vos profani, qui bellum huic diſciplinæ indicitis. Sin hoc malum, aut certè ſuperfluum, quàm erat negligentia Chriſtianorum grandis; parum dico; quantum crimen Eccleſiæ, quæ id patiebatur, imò fouebat, imò laudabat? Et eſt tamen illa Eccleſia, quam Caluinus carpere erubeſcit, nempe quam intra quatuor prima ſecula matrem ſuam Chriſtiani crediderunt. Neque parum, ſi ſani vos eſtis, Auguſtinus inſanijt, qui hos homines, atque vitam, impensè laudauit: Adeò vt de duobus Aulicis ad monaſticam diſciplinam ſubito feruore tendentibus dicat. Lib. VIII. Confeſſ. Cap. VI. *Et ambo iam tui, Chriſte, ædificabant turrim ſumptu idoneo relinquendi omnia ſua, & ſequendi te.* Vides, ex Auguſtini ſententia, illos qui nec perſecutione vrgente, nec turbatis Eccleſiæ temporibus, ſeſe bonis exuerint, monaſteriumq; petierint, in illis numerari, qui cum Petro dicere poſſunt; *Ecce nos reliquimus omnia, & ſequuti ſumus te.* Matthæi XIX.

Neque ea ætate Monachi tantùm; ſed etiam Moniales. Narrat hoc Auguſtinus

illo

illo Cap. XXXI. De Morib. Eccl. Cathol. qui vita Monachorum fusè descripta, sic addit. *Hæc est etiam vita fœminarum, Deo solicitè, castèq; seruientium, quæ habitaculis segregatæ, ac remotæ à viris quàm longissimè decet, pia tantùm illis charitate iunguntur, & imitatione virtutis; ad quas iuuenum nullus accessus est, neque ipsorum quamuis grauissimorum, & probatissimorum senum, nisi vsque ad vestibulum, necessaria præbendi, quibus indigent, gratia. &c.* Subiungit hæc deinde in Monachorum, & Monialium laudem. *Hos mores, hanc vitam, hunc ordinem, hoc institutum, si laudare velim, neque dignè valeo, & vereor ne iudicare videar per seipsum tantummodò expositum placere non posse, si super narrationis simplicitatem, cothurnum etiam laudatoris addendum putauero.*

Superuacui plures in re liquida testes. Nihil enim frequentius in Ambrosio, Hieronymo, Basilio, Chrysostomo, ac reliquis Patrum libris, quàm Monachorum meminisse, & eos celebrare. Et Monachi quidem vt nunc, ita etiam illo æuo, à cæteris Christianis longè victu diuersi, adeò

vt ple-

vt plerique, & in Palæſtina maximè, (vt refert ibidem Auguſtino) *à carnibus ac vino* abſtinerent; plures ſe in vnius diſciplinam traderent; paupertati ſtuderent. Prolixè hoc plurimi Patres; Ac ne ab Auguſtino abeas, is fusè hæc omnia, capite illo XXXI. de Mor. Eccl.Cath. Neque minus Hieronymus, tum paſſim, tum egregiè in vita Hilarionis, vbi in monaſticæ vitæ laudem effunditur.

Ac vt diuerſus à ſecularibus victus, ita & veſtis. Nam & *cucullam*, quam hodie in Monachis tanta intemperiè rident hæretici, ſuo iam ſeculo in Monachis agnouit Hieronymus; qui ſignatè in extrema Hilarionis vita de ipſius *cuculla* meminit. Atqui vixit Hilarion plus mille trecentis ante nos annis. Verba ſunt. *Heſychius, corpus Hilarionis, Cypro Maiomam deferens, totis Monachorum & oppidorum turbis proſequentibus, in antiquo Monaſterio condidit, illæſa tunica, cuculla, & palliolo, & toto corpore quaſi adhuc viueret, integro, tantisq; fragrante odoribus, vt delibutum vnguentis crederetur.*

Dicant ergo Sectarij, quo æuo non am-

amplius licuerit, aut decuerit, Monachos esse. Viuebant, nec modò ferebantur, sed in pretio erant, pura adhuc, vt vocatis Ecclesia, sub Basilio, Hieronymo, Augustino. Ab ea ætate scitis nullum æuum vacauisse à Monachis. Cur nunc eiusmodi disciplina Ecclesiam vultis orbari, quæ tot seculis floruit, tantos authores, tot laudatores habet? præsertim cùm quæ in illis potissimum carpitis, nempe à cibis aliquot abstinentiam, sanctumque cælibatum, ea imprimis ab antiqua commendentur Ecclesia. Ab Augustino suprà retulimus, Palæstinæ Monachos tam vino, quàm carnibus abstinuisse. Addit ante vesperam nihil solitos degustare. Hilarionem Hieronymus narrat solis frugibus fuisse contentum, & in miram abstinentiam Monachos instituisse. De Antonio eumq; sequutis non inferiora in Antonij vita Athanasius refert. Nec reponant Sectarij, hoc sibi in monasterijs displicere, quòd astringantur Monachi votis; & qui inde recedunt censeantur Apostatæ. Id enim & illo puro Augustini æuo obtinuit. Ita ille in Psalm. LXXV. *Nemo positus in monasterio frater dicat, recedo de*

mo-

monasterio; neque enim soli qui sunt in monasterio peruenturi sunt ad regnum cælorum; & illi, qui ibi non sunt, ad Deum non pertinent. Respondetur ei; sed illi non vouerunt; tu vouisti.

Sed ne nihil in Monachos, & Catholicorum ieiunia, Sectarij dicant; aiunt esse flagitiũ *à cibis* religiosè abstinere; quandoquidem *quod per os intrat, non coinquinat hominem.* Vel ignarorum est illa obiectio, vel ignorare volentium. Neque enim ciborum vllum genus vt impurum, aut illicitum, refugiunt Christiani. Sciunt animalia omnia, fruges omnes, olera, fructus, in vsum ac cibum concessa mortalibus. Sed vt Deus his vti concessit, ita non iussit. Qui non crediderit cibis omnibus vesci licere, ille peccat; non autem qui non omnibus vesci ipse voluerit. Nec si medicus imperet ægro ad corporis bonum, à cibo abstinere, ideò cibum damnet. Nec si velim, aut iubear, ad commodum animæ meæ, frugali, aut inopi mensa vesci, ideò in cibis, aut esu, vitium constituam, sed potius in me. Nam cibo quem ex se bonum scio, non vtor, vel in meorum criminum pœnam, vt scilicet

ea bo-

ea bonitate, & delectatione, me priuem: vel in metum; ne nempe eam epularum *bonitatem* malitia lasciuientis carnis meæ corrumpat. Et hæc causa; vt vel Ecclesia, ab aliquot cibis abstinentiam interdum indicat, ad castam ac publicam disciplinam; vel homines ipsi priuati sibi sponte abstinentiæ leges ea modestia statuant, vt *qui non manducat manducantem non iudicet*. Rom. XIV.

Et his quidem qui in hanc abstinentiam, atque ieiunia, priuata pietate se dederint, libertas est ab ea austeritate recedere, nisi se huic pœnitentiæ generi voto emisso addixerint. Tunc enim quæ libertatis res antea erat, necessitatis fit, religione vouendi. *Vouete, & reddite Domino Deo vestro*. Psalm. LXXV. Igitur contra interdictum Ecclesiæ, aut voti rationem, cibis vtentes, non ciborum vitio polluuntur, sed intemperanti licentia, qua aut à præcepto Ecclesiæ, aut à voto recesserint. Nisi fortè ex suilla existimas maculari potuisse animas Iudæorum, ac non potius ex violata Dei lege, esu suillæ.

De castitatis voto, quod in Monachis carpunt hæretici, iam egimus suprà (Lib.

 I. Cap.

I.Cap.II.) Illud enim non licitum modò, sed sanctum, & à quo sine sacrilegio resiliri non possit, docuit omnis æui Ecclesia. Neque existimes tantum Monachorum numerum in eo candore durare non posse. Monachorum penè immensos greges sua ætate floruisse testis est Augustinus, Lib. De Mor.Eccles. Cathol. Et hos ait, *contemptis, atque desertis mundi huius illecebris, in communem vitam castissimam, sanctissimamq́; congregari*. Hodie numerum superant eodem vitæ candore eximij: vt si qui inter illos fœdè lasciuiunt, segniciei primum suæ, moxq́; vecordiæ imputare debeant crimen; non Ecclesiæ, non naturæ, non voto. Sed hoc non capitis nempe Sectarij, nec cogere vos ipsos assueti, & ignari quas suggerat Deus vires syncerè pietatem amantibus.

At putatis iniurium, tot homines continentiæ voto astringi. Cur autem? an quòd ipsimet nolunt? atqui ad eiusmodi votum nemo compellitur. An quòd non possunt? Illud verò ridiculum, vt non possint animæ quæ se Deo dediderint, quod in omnibus familijs filias vestras facere vultis. Certè enim ad nuptiarum

tem,

tempus continentiam præſcribitis. Num autem quod præſcribitis exequi illæ poſſunt? Si non poſſunt, fruſtra iubetis, fruſtra ſæuitis, vbi vos inopinò auos fecerunt. Si poſſunt, peto quamdiu poſſint. Multis enim non maturè proci ſunt; multæ vigeſimo, multæ triceſimo ætatis anno innuptæ; haud paucæ diutius abſque coniuge conſeneſcunt. Quòd ſi illæ ad tantum ætatis virgines eſſe, & decoquere innoxiè primorum annorum cupiditates poſſunt, & hoc non ſuo quidem conſilio, aut in voluptates obſtinatione ac pugna, ſed ſola fortuna, parentumvè arbitrio, nunquid & diutius potuiſſent, ſi necdum ipſis maritus contigiſſet? quid ſi expectandum fuiſſet biennium? quid ſi triennium? quid ſi de conditionibus non conueniſſet inter patrem ac ſponſum? Quæ porrò amentia, vt innumeras virgines credas maximam vitæ partem, & maximè ignibus carnis infeſtam, intemerato flore poſſe tranſigere, non cohibitas clauſtris, non per aſſidua ieiunia corpus exhaurientes, ſed inter medios ſeculi fluctus, in aſſiduis humanæ fragilitatis periculis; Viros autem, ac puellas, Deo in-

tegrum animum atque corpus offerre volentes, inter assiduas preces, vitæq; seueritatem, non hoc ipsum omni vita posse præstare? Consuetudine constat hæc virtus. multoq; plus operis à libidine reuocari, quàm non omnino ad illam descendere.

Neque soli Monachi cælibes; sed & sacris initiati Ordinibus; vt quàm maxima potest inter homines puritate, purissima peragantur mysteria. Et *supererogationis* quidē est, aut monasticæ vitæ professionē ad Sacerdotiū accedere; sed præcepti, vbi ad ea accesseris, voto parere. Ita à prisca institutum Ecclesia; ita priscę Ecclesiæ successores obseruamus. Negant tamen Sectarij, vetustis temporibus coniugio Presbyteris interdictum. Audent quidam ad Gregorium VII. Calistumq; II. rem referre; id est, ad annum circiter millesimum, atque centesimum; quasi hi primi mulieres à contubernio Clericorum amouerint. Tuentur se consuetudine Græcæ Ecclesiæ, in qua coniugio Sacerdotes non abstinent. At refero, ne in Græca quidem Ecclesia tantam esse ac isti prædicant coniugij libertatem. Nam

qui

qui in ſecundis nuptijs viuit, huic Sacerdotio interdictum; Qui prius Sacerdos fuerit quàm maritus, ei ad nuptias prouocare non licitum; Cui Sacerdoti vxor obierit, is aliam matrem familias domum ducere prohibetur. Sed nec olim ea libertas fuit quam hodie iſti vſurpant, vt qui maritus eſt, Sacerdos fieri poſſit, nec ab vxoris thoro recedere. Viguit antiquiſſimis temporibus cœlibatus, multis antè Gregorium ſeculis, multis antè Caliſtum. Arelatenſi Concilio, quod mille ducentis annis præceſſit hanc ætatem, Can. I. dicitur, *Aſſumi aliquem ad Sacerdotium non poſſe in vinculo coniugij conſtitutum, niſi fuerit promiſſa conuerſio*. Eſt autem illa *conuerſio*, continentia ab vxore; & conuerſio quidem non mali in bonum (abſit enim de coniugio malè ſenſerint Patres) ſed boni in melius; conuerſio denique à temporali matrimonio ad ſpirituale coniugium. Epiphanius, Hæreſi. LIX. ſcribit, ijs locis, vbi ſyncerè Canones vigent, non Hypodiaconum, non Diaconum, non Presbyterum, Epiſcopumvè conſtitui, qui cum vxore viuat, ſed aut illum qui vxorem

omnino non habuit, vel ſaltem iam non habet. Hieronymus, Lib. I. in Iouinianum. *Sed & ipſa Epiſcopalis electio mecum facit. Non enim dicit* Apoſtolus; *eligatur Epiſcopus, qui vnam ducat vxorem, & filios faciat: ſed qui vnam habuerit vxorem, & filios in omni ſubditos diſciplina. Certè confiteris, non poſſe eſſe Epiſcopum, qui in Epiſcopatu filios faciat. Alioquin, ſi deprehenſus fuerit, non quaſi vir tenebitur, ſed quaſi adulter damnabitur.*

Non nuptias ergo damnamus, non à cibis abhorremus. Sed ab antiquæ diſciplina Eccleſiæ, ieiunio ſtatos dies peragimus, homines non alios ad Sacrorum Ordinum dignitatem admittimus, quàm vacuos coniugij curis: Vota quæ Religioſi, ac Monachi vltrò fundunt, inuiolabilia eſſe iubemus. Vos, ò nefas! cuncta confunditis. *Vota, quæ diſtinxerunt labia Sacerdotis ac Monachi*, apud vos non temerè modò, ſed cum plauſu violantur; Præcepta Eccleſiæ, quæ antiquiſſimi Patres rata eſſe ſcripſerunt, quæ iam à primis ſeculis credidere Chriſtiani abſque peccato non poſſe calcari, nihil diſſi-

dissimulato fastu proijcitis.

Sed & alia seueritatis *opera* passim cernas in vsu fidelium, frequentiora nempe ieiunia, orandi, Deoq; vacandi sedulitatem, cilicij durum tegmen, sponte verbera, crebrò vigilias; ac quod maximè cupiditatibus frangendis est, quicquid auidissimè animus expetit, hoc illi negari, vt parere discat ac flecti. Scio hæc omnia cum delectu vsurpanda; immodici feruoris Christianum, posse interdum stupore digniora quàm laude præstare. At nec vinum damnaueris, quanquam eo nonnulli abutuntur ad crapulam; nec pecuniæ vsum, quæ interdum amore sui captos à frugalitate in auaritiam deducit. Non à trunco exscindendæ res bonæ, sed quæ in ramis fortè luxuriant. Sed neque delicato corpori est credendum, quod sæpius abit à iusta disciplina, quàm animus ad nimiam seueritatem.

At austeritatis hos cultus, ludicros aut superuacuos forsitan tibi finges. Nã quid tantum peccaui, inquies, quod debeat tam acerbè vindicari? cur me concessis delicijs orbauerim? cur in mala

quæ fas eſt declinare ſpônte irruerim? Imò quantum peccaueris, Sectarie, forſan ignoràs; etiam vt tuos in fide errores omiſerim. Dicant omnes cum Pſalmiſta. *Ab occultis meis munda me Domine*. Et cum Eccleſiaſtico, *De propitiato peccato noli eſſe ſine metu*. Sed hæc etiam ipſa quorum tibi es conſcius, an tantilla exiſtimes, vt pigendum ſit ea diligenter eluere? Nunquam virginem, aut matronam, aſpexiſti *ad concupiſcendam eam?* Nunquam proximi tui crimen quod latebat, ad amicos inuidioſa, aut temeraria garrulitate retuliſti? Nunquam inuidia, nunquam odium, in te locum inuenit? Nunquam iratus fratrem tuum fatui appellatione læſiſti, & per hoc *ignis gehennam* meruiſti? O te angelum, ſi hæc, cæteraq; delicta, quæ mortem animæ afferunt, mirabili cautione effugeris! Sin in aliquod lapſus es aliquãdo Sectarie (& ne dubites quin in multa ſis lapſus) nihil nimium ages, etiamſi auſteram, longamq; medicinam huic morbo quæſieris. Sanctiores denique, ac prudentiores quàm tu ſis viri, omni pœnitentiæ genere & animum exercuerunt

& cor-

& corpus; vt pudendum ſit potius quòd tu homuncio minus his præſtes, quàm ſuperbè credendum nimis te tibi vilem, ſi aliqua ſeueritate te domites. Auguſtinum hìc referam, an Baſilium, an Hieronymum, an alium ex antiquis, quorum omnis propemodum vita ſupplicium fuit? quorum hiſtoriam ab æqualibus ſcriptam noſtra ignauia timet agnoſcere? Antonius, Hilarion, Symeon, te dederint in ruborem, ſi in eorum integritatem, & viuendi morem inſpexeris. Res fidem ſuperaret, niſi tantis ſub teſtibus; & Athanaſius de Antonio ſcripſiſſet, & de Hilarione Hieronymus, & de Symeone penè quotquot hiſtoriam Eccleſiaſticam texuere. Recentiora non tango, ne ſanctiſſima exempla præiudicio ſeculorum quæ tibi non placent contempſeris.

Aiunt tamẽ quidam ex veſtris, inertiæ ſuæ fauentes, riſurum hæc opera Deum; & faſtidioſè mortales, *quis hæc de eorum manibus requiſierit*, rogaturum. Væ ſcilicet ſeculis primis, quæ vos non tulere, Sectarij, vt de hoc tot Patres moneretis; tot hominum greges, hos in deſertis, hos in vrbibus, illos in ſeculo, illos in

Cle-

Clero, omni seueritatis genere eò corpori suo plura negantes, quo animæ melius voluere. Haud dubiè interrogabit ea ratione qua dicitis Christus, non illos qui suscepto officio functi, aut pietate admoniti, hic in se peccata vlti sunt, ne illic plecterentur; Sed fœdos Apostatas, qui à Sacerdotio, aut Monasterio, ad vos digressi sunt, & *irrita vota fecerunt*, incestu polluti; quod matrimonium vocant, & cæteris rebus quarum abstinentiam antè promiserant. Vt Apostolus Petrus olim Ananiæ, *nonne ager manens tibi manebat, & venundatum in tua erat potestate? Non es mentitus hominibus, sed Deo.* Ita Dominus ad illos sacræ militiæ desertores. Nonne ius matrimonij, nonne copia vobis erat? nonne communi lege cibis omnibus absque delectu vesci; & vestro arbitrio viuere potuistis? Quis vos adegit vt voto concepto vestra corpora consecraretis? quis, vt in alterius potestatem concederetis? vt promitteretis, mihi per quotidiani pensi orationes loqui? *In manu vestra eratis*, soluti, liberi; At posteaquam illa vouistis; quæ audacia, quod sacrilegium fuit, me

meo

meo iure fraudare? Non estis mentiti hominibus, sed Deo. Procul à me operarij iniquitatis.

Neque verò inter illa seueritatis genera, inter coërcitæ mentis, carnisvè disciplinam, odimus corpus nostrum, aut Deum effingimus naturæ nostræ hostem. Non hæc amat corporibus, animisvè indicta supplicia, nisi cùm aut sunt verè dolentis de peccato animi, & Deum à se læsum in se etiam vindicantis; aut melioris in posterum vitæ quæsita auxilia. Hoc apud Isaiam fusè testatur. Cap. LVIII. Sed est eximia ipsius benignitas, qui peccatoribus placari assueuit, leuissima mulcta contentus. In eum modum indulget Niniuitis; in eum modum Sancti Prophetæ à se, ac populo, diuinam vltionem auertunt.

Sed & ingens præterea istiusmodi seueritatis vtilitas. Ea nempe eruimus animum terræ hærentem, & subinde ad Dei memoriam redimus, *cuius nimia in prosperis obliuio est*. Ita excitamur à deliciarum, & voluptatum somno, per quem Dæmon, vt plurimum irrepit. Tum domitam carnem, & cum illa voluntatem,

habe-

habemus in vinculis. Illam ad obſequium aſſuefacimus, hanc ad rectum imperium. Sic ſtamus in procinctu, ſic hoſtem expectamus, ſi quid molle perſuaſerit, non impetraturum ab illis, qui ſibi ipſis ſolent rigida imperare. Ac deinde ſtimulis vltro quietem, & bona terrarum acri mixtura rūpentibus, paulatim *morimur mundo*, adigimurq; ad theſaurum in cælis collocandum, illicq; tranſmittendum iam nunc animum, qui à theſauro ſuo abeſſe non poteſt. Cui in tantum præmium laborare ægrè erit, is indignus labore tam fœcundo, forſitan in grandioribus, atque ſterilibus ad illum ſuſpirabit.

At nec credas non hìc plura quàm reliqueris à Deo rependi, cæleſti dulcedine, internoq; colloquio, & in eos diſpenſata vberius Angelorum lætitia, qui à brutis magis abſceſſerint. Quiſquis aliquid pro Chriſto reliquerit, *accipiet centies tantum nunc in tempore hoc, & in ſeculo futuro vitam æternam.* Marc. X. Et experimento compertum eſt, ſolida in Deo ſolatia tunc maximè inſinuari cùm à voluptatibus abſumus, & inter mortalium bonorum dulcedinem expirare.

CAP.



CAP. VII.

De intercessione Sanctorum. De veneratione Reliquiarum. De Miraculis.

VNA est, eademq; Dei Ecclesia, & quæ in cælo victoriæ bonis incumbit; & quæ adhuc in terris iactatur mundi æstu; & quæ denique soluta periculis, at nondum supplicijs, purgantibus pœnis eluitur. In charitate autem est tota, cùm sit in Deo. Et charitatis est, vt inferiores de sublimiorum bono gaudeant; sublimiores inferioribus qua possunt ope adsint. Nos itaque fratribus nostris, qui iam in cælo, quem licet cultum habemus, ab ijsque vicissim suffragij opem petimus, & sæpe sentimus. Ijs autem qui adesse sibi non possunt, in purgatorij carcerē missi, opem

feri-

ferimus; precibus apud communem Patrem fusis, cui hæc fratrum placet in ipso, & inter se necessitudo. Sed hos nexus volunt abscindi Sectarij. Sanctos sua curare gaudia aiunt; certè supplicum votis nec patere, nec lacessi. Ac preterea quantum opis ab eorum suffragijs expectamus, tantũ nos Christo adimere. Cæterùm supplicia nulla esse, qualia cum antiquissimis Patribus credimus, quibus Electi, sed nondum ad amussim candidi, post mortem defæcantur. Paucis hæc omnia in illos asserenda.

Morem habet ab antiquissimis seculis Orthodoxa Ecclesia, vt beatos Spiritus, & Martyres sanctos, ac quos prætereamiraculorum maiestate constiterit cælo, ac Deo frui, pro nobis ad Dominum orare efflagitet. Quid hìc damnatis, Sectarij? Hoc, inquitis, Scripturæ non vos docent. Si reponam, nec Scripturas hoc vetare, quò vltrà tendetis? Quidni potius credam, rem licere quæ non Scripturis prohibetur, & ab Ecclesia vsurpatur; quàm vetari, quia expresse Scripturis nõ iubetur? Sed neque curamus hac excusatione nos tegere. Scripturis enim initi-

nitimur, quibus passim mutua oratio inter fideles præcipitur, quibus passim viri sancti orationes fratrum efflagitant. Ita, inquies; sed viui, & viuorum. Da porrò hoc discrimen in Scripturis, Sectarie, & causa ceciderim, vt fas sit viri sancti & viuentis, precibus pacem Numinis exorare, mortui nefas. Imò mortuus erat Moyses, Samuelque, cùm Deus indicaret solitos illos orare pro Iudæis, Hierem. XV. Mortuus Hieremias, cùm reuelatum est Iudę, illum assiduè pro populo, ac templo orare. II. Machab. XV.

At, inquies, *mediator* vnus est Christus inter Deum & homines. quid tot mediatores, tot pro nobis oratores effingitis? Vix vllum pinguioris Mineruæ argumentum; vt sit mirum quòd hoc toties velitis audiri. Vnus est Christus, quo *mediante* data est salus, qui Patri æterno reconciliauit mortalitatem. Sed *mediatores intercessionis* (quales nos Sanctos esse statuimus) nec ipsi negatis tot esse, quot fideles existunt. Nonne enim vnus alterius preces exposcitis? & nonne is cuius vota optantur, ita vobis mediator, ac Sancti sunt nobis? Quid igitur inclamatis

matis iniuriam Christo fieri, quid merita Christi censeri à nobis inualida? Eò res redit, num cuius licuit intercessionem petere adhuc viuentis in mundo, preces eiusdem peti possint iam victoris in cælo. Hæc est scilicet grandis iniuria qua Christum afficimus, hæc nostra impietas, nostra *de Christi Passione* obliuio.

Sed referes; non audiri à Sanctis supplices, non videri: Superuacuum procul absentibus esse sermonem. Si hoc esset, Sectarie, superflui fortè laboris, non tamen impietatis accusaremur Catholici, qui orari quidem dignis ferremus has preces; sed frustrà, cùm illi orari se nescirent. At contrarium & Scripturis habemus, & Patribus, & vsu Ecclesiæ. Hierem. XV. *Si steterint*, inquit Dominus, *Moyses, & Samuel coram me, non est anima mea ad populum istum.* Quàm autem hoc frustra, nisi tunc sæpe Moyses & Samuel coram illo stetissent, & ex rerum ac temporum sorte pro Iudæis interpellare assueuissent? Omitto, quòd liquidissimis verbis dicitur. II. Machab. Cap. XV. Hieremiam ac Oniam, mortuos tunc vtique

viros,

viros, *orare pro omni populo Iudæorum*. Et tota Apocalypsi refertur Angelos, atque Sanctos, in ista terrestria Dei virtute inspicere. Sed & Raphaël cùm assisteret Deo (Tob.XII.) orationes Tobiæ Domino offerebat; ergò & eas proculdubio audiebat.

Num denique plus in hac re te sapere credas, quàm venerãdæ antiquitatis Ecclesiam? En morem, ac doctrinam illius, Ambrosij, & Augustini æuo. Ambrosius, Lib. De Viduis. *Obsecrandi sunt Angeli, qui nobis ad præsidium dati sunt, Martyres obsecrandi, quorum videmur nobis quoddam corporis pignore patrocinium vendicare. possunt pro peccatis rogare nostris, qui proprio sanguine etiam si qua habuerunt peccata lauerunt. Isti enim sunt Dei Martyres, nostri præsules, speculatores vitæ, actuumq; nostrorum. Non erubescamus eos intercessores nostræ infirmitatis adhibere, quia ipsi infirmitatem corporis, etiam cùm vincerent cognouerunt*. Augustinus, De cura pro mortuis. Cap. IV. *Cùm itaque recolit animus vbi sepultum sit charissimi corpus, & occurrit locus nomine Martyris venerabi-*

lis, eidem Martyri animam dilectam commendat recordantis & precantis affectus, qui cùm defunctis à fidelibus charissimis exhibetur, eum prodesse non dubium est ijs, qui cum in corpore viuerent, talia sibi post hanc vitam prodesse meruerunt. Nulla hìc exclamatio, nulla apostrophe. Syncerè, apertè, hi Patres suos, & Ecclesiæ sensus exponunt.

Serenissimi Britanniarum Regis *Eleemosynarium* hìc alloqui Iubet. Illi Rex credit; alij multi credunt. & toties in culpa est, quoties alios in culpa esse facit. Videat porrò quanto errore negauerit, Augustino placere, vt Martyres inuocentur. In Respons. Ad Apolog. Illustriss. Card. Bellarmini Cap. I. sic loquitur. *Augustino autem assentimur conuenienter honorandum corpus Protomartyris, postquam ad illud, miracula quædam Deo visum operari. Sed ea tamen miracula per inuocationem Sanctorum operatum esse, id Cardinalis adiecit de suo. Nam Augustino Martyres non inuocantur.* Imò inuocantur Martyres Augustino; nisi ipsi Augustino non credimus. Nam quid illa sententia apertius.

non dubium esse, quin defunctis prosit affectus fidelium cùm eorum animas commendant Martyribus? Quid Regi, quid tibi aliud persuades? Inuoco Martyres, quos non vis inuocari; inuoco lubens ac veneror, vt à Domino tibi hanc impetrent quam respuis fidem; nec ante suprema caligo oculos tuos velet, quàm in Ecclesię luce Sectarum tenebras eiuraris.

Sed iubemur in Scripturis ire ad Deũ. Cur igitur eamus ad Sanctos? O recentem sapientiam! An hoc ipsum ignorauit Ecclesia? an nescierunt Patres? Imò monemur orationibus bonorum nos maximè posse iuuari; & cùm imus ad Sanctos, imus ad Deum. Absit enim aliquid à Sanctis expectemus, nisi quod ipsi pro nobis impetrarint à Domino. Ex se nil possũt. Ab ijs nihil petimus, nisi suffragia. Sed quidni impetrabilior ad Deũ orator sit Petrus & Paulus, vitę candore inclyti, & purpura mortis, quàm aut tu, aut ego, homuncio, peccatis quotidie nouis reus?

Quid de Angelo dicam, quem vnicuique Deus custodem apposuit? Tanti roboris comitem, tanti splendoris, insalutatum velis? Huic non te sponte com-

mendes, cui es à Deo commendatus? Sed eiusmodi scilicet Spiritus nobis adesse, quidam ex vobis negant, quidam ignorant. Vidi ego prouectæ ætatis Sectarium, acrem illum, & in nos quotidianis studijs æstuantem, qui negaret vnquam se antea inaudisse, *Papistis* persuasum, Angelum esse aliquem destinatum ad custodiam singulorum. Nec dubium, inquit, quin commento eiusmodi sit origo, à domesticis dijs, laribusq; gentiliũ. Abstine maledicta, Sectarie. Ex Scripturis illa fides, non gentium nugis. Nam & populis, atque prouincijs, Angelos suos esse, qui res earum curent, habes in Daniele, Cap.X. vbi & *Michaël* dicitur Princeps populi Iudæorum; & Angelus alius Princeps esse Persarum, aliusque Græcorum. Et singulis hominibus eiusmodi spiritus dari docemur apud Matth. Cap. XVIII. *Videte ne contemnatis vnum ex his pusillis: dico enim vobis quia Angeli eorum in cælis semper vident faciem Patris mei qui in cælis est.* In quem locum Hieronymus, Commẽt. in Matth. *Magna dignitas animarum, vt vnaquaque habeat ab ortu natiuitatis in custodiã*

sui

ſui Angelum delegatum. Idem, De obitu Paulæ. *Teſtor Ieſum, & Sanctos eius, ipſumq; proprium Angelum, qui cuſtos fuit, & comes admirabilis fœminæ, me nihil in gratiam, nihil more blandientium loqui*.

Sed de veneratione, cultuq; querimini, quem Sanctis adhibemus. quia, inquitis, ſolus Deus adorandus. & Paulus ad Coloſſ. II. prohibet ſeduci Chriſtianos, *in humilitate, & religione Angelorum*. Angelus denique, qui Apocalypſis viſionem Ioanni monſtrabat, ſe ab eo adorari non tulit. Hæc, Sectarij, in ore veſtro frequentia, ſæpe quoque à noſtris ſoluta ſunt. *Adorare*, dubiæ ſignificationis verbum eſt. Quædam adoratio debita ſoli Deo; Hac qui hominem, qui Angelum, qui Sanctum impertiat, nunquam idololatriæ crimen effugerit. Alia adoratio, cultus eſt minoris ad maiorem, quem tamen neque Deum cenſeas, neque eo nomine venereris. Hac Principes, Reges, Angeli, Sancti omnes, pro gradu, ac dignitate colendi ſunt; hi, vt Dei imagines in terris; illi, vt Dei in cælo domeſtici. Et ne dubites *adorandi* vocabulum, etiam

ad honores qui deferri Creaturis legitimè possunt, traductum in Scripturis, de Abrahamo habes, Genes. XXIII. *Surrexit Abraham, & adorauit populum terræ, filios videlicet Heth*. De Nathan Propheta dicitur. III. Reg. Cap. I. *Cumq; intrasset in conspectu Regis, & adorasset eum pronus in terram*.

Ad Apostoli verba, *humilitatem, & religionem Angelorum* prohibentis, pridē respondit Chrysostomus, Hom. VII. in Epist. ad Coloss. illic hæresim prohiberi, Angelos in dijs minoribus referentem, quasi per illos oporteat, non per Christum, reconciliari, & ad Patrem accedere. Quæ hæresis Simoni illi Mago ab antiquis ascripta est.

Nec segnius argumento, quod ex Apocalypsi habetis, respondit Augustinus. Quæst. LXI. in Genes. ex maiestate verborum, quibus Angelus ille vsus. (Nam & ex persona Christi dixerat. Cap. I. *Ego sum primus & nouissimus, &c.*) existimasse Ioannem, sibi Christum, non Angelum loqui. Angelum igitur vetuisse, ne Ioannes honorem debitum Christo, sibi deferret. Exponunt alij, & ipsi summi viri,

non

non erraſſe Ioannem Angelum adorando: ſed Angelum noluiſſe hunc honorem ſibi haberi à Ioanne, qui Apoſtolus, qui Propheta, qui Chriſto chariſſimus; vt vtrinque ſancta humilitas fuerit, & deferentis, & recuſantis cultum. Id verò & probare facile, nec arduum credi. An enim Ioannes ignorabat, vnum Deum, & non Angelum adorandum cultu latriæ? An ignorabat qua veneratione Angeli proſequendi? Chriſti Apoſtolus, à Chriſto amatus, qui ſupra pectus Domini in cœna poſtrema ipſius diuinitatis myſteria eſt edoctus, cui Mater Domini in matrem commendata, qui eo tempore quo illi in Pathmo Apocalypſeos reuelata myſteria, ſexaginta & amplius annis per Orbem Euangelium prædicarat? Putasne ante id temporis neſciſſe Chriſtianos, an, aut qua ratione colendi Angeli eſſent; aut hoc ipſum neſcijſſe Apoſtolum, cui credebant Chriſtiani, docenti, loquenti, Euangelium perſcribenti?

Si itaque cultum latriæ Angelo Ioannes deferebat, proculdubio non Angelum eſſe, ſed Dominum eſſe credebat. Sin Angelum eſſe cognouerat, ſane nec cul-

tum latriæ impendebat, & fas eſt Angelos eo cultu proſequi quo tunc ille proſequutus. Sit enim ridiculum, ſi dicas non antea Dominum reuelaſſe Chriſtianis, quis Angelis honos habendus, quàm tempore illo demum, cum iam martyrio ſublati omnes Apoſtoli, vno Ioanne ſuperſtite. Sed quod abſurdiſſimum eſt demus, Ioannem Apoſtolum ignoraſſe, quod nullum Chriſtianum eo tempore ignoraſſe oportuit, nempe quæ veneratio Angelis exhibenda; At ſatis fuiſſet illum ſaltem de ea re ſemel edoceri ab Angelo. Atqui iteratò idem aggreſſus eſt. Nam cum adoraturus procumberet, Cap. XIX. recuſauit his verbis Angelus. *Vide ne feceris, conſeruus tuus ſum*. Nihil minus Cap. XXI. ad eum adorandum rurſus Ioannes procubuit, & eadem ab Angelo verba audiuit. Adeonè Ioannes legis Chriſti neſcius erat? adeonè quod paulò ante ab Angelo didicerat credas oblitum? Imò iterata hæc Ioannis demiſſio ad Angeli pedes (quæcunque Angelo cauſa fuerit hanc obſeruantiam recuſandi) ſatis oſtendit, Domino non ingratam in ipſius nuncios, amicoſque

ve-

venerationis pietatem.

Nos itaque cum Ecclesia, atque Psalmista, concinimus, *Mihi autem nimis honorificati sunt amici tui Deus*. Felicitatem eorum admiramur, opem exposcimus. Tu verò Sectarie, si tibi Martyr sanctus, aut ex Prophetarum ordine, vel Angelorum choris aliquis, obuiam esset, si illum videres, si illi loquereris, quis vultus, quæ verba, aut gestus tibi essent? Nam vt neges eos iam occursus obuenire, at nunquam negaueris, si Deus voluerit, posse contingere. Num tu cum eiusmodi spiritu, vt cum pari ageres? an illi potius honorẽ haberes, id est, quo sensu hìc loquimur *adorares*? Certè enim qui humana magnitudine sæpe percelleris, illud fastigiũ omni mortalitatis honore sublimius non posses non colere. Cur igitur non liceat honorem illis habere, quos etsi non videmus, at esse tamen scimus, & esse felices, Deo iunctos, Dei amicos, in tutissima immortalitate triumphantes? Cur nefas sit eo in illos quos non videmus animo esse, quo fas sit in illos quos videmus?

Nec animabus modò felicium detrahi
cultum

cultum vultis, ſed & eorum corporibus bellum indicitis. Horreo eloqui, quot Sanctorum Reliquias vento, flumini, igni dederitis; quoties veluti in ludibrium membra ſeruata, de auro, de gemmis, quibus condita erant, ad contumelias eruiſtis. Ingemiſcet de iactura poſteritas; nos erubeſcimus ad ſeculi noſtri labem. Nam quò illa impietas, niſi quòd Dæmones qui hæreſim excitarunt, Reliquiarum ſanctitatē ad quas ſæpe vexati ſunt, non minus odere, quàm Antiochenus Apollo Babilæ Martyris oſſa, in quorum vicinia oracula edere vetabatur?

Audio quid dicatis; non potuiſſe compeſci idololatriam noſtram, niſi ruina eorum quæ à nobis colebantur. Videamus quæ hæc idololatria fuerit, tam triſti remedio reſecanda, aut quid à nobis in Reliquiarum cultum, ſupra antiquiſſimæ morem Eccleſiæ. Sanctorum Reliquiæ ſi à ſede aliqua deferuntur in aliam, pſalmis, ac canticis compita celebramus; res peragitur concurſu populi, veneratione cernentium. Sudaria noſtra, ac veſtes, ſedula pietate applicamus, ad vaſa, vel feretrum, quo ſancta hæc oſſa iacent,

quò

quò ad nos permànet infinuata salubritas. Eorum corpora, atque ossa, in partes diuidimus, vt plures sint felicitatis, opisq; participes. Eas Reliquias in templis, & sub altaribus condimus, ex quibus sacrosancta victima dispensatur; vel precioso metallo, gemmisq; concredimus. Ad eas sæpe imus, Deum exoraturi per hæc pignora suorum amicorum, vel ipsis etiam loquuturi, quorum membra aspicimus. Procumbimus, deosculamur hunc puluerem, qui olim Deo seruiuit, & aliquando *resurget*, *immutabitur*, cum Christo regnabit. Credimus ad sancta hæc corpora horrere dæmones, & vrgeri, interdumq; miraculis à Deo asseri, quàm hanc nostram pietatem, tam honorem Reliquiarum. Fusius illos cultus exposui, vt scires, Sectarie, non pudere Christianos professionis suę. Præ nobis ferimus ea apud nos fieri, ea solicitè obseruari. Quæ si omnia ad amussim primis Ecclesię seculis vsurpata monstrabimus; quid restat nisi vt tibi pro mõstro sit, te adeò hæresi fascinatum, vt hanc piam maiorum disciplinam in monstris numerares?

Quan-

Quanto honore delatæ ab antiquis Reliquiæ, disce à Socrate, Lib. III. Cap. XVI. Theodoreto, Lib. III. Cap. IX. Sozomeno, Lib. V. Cap. XVIII. Illic leges concurrisse Christianos cum essent, Iuliano Apostata imperante, S. Babilæ ossa, à Daphne suburbio Antiochiam deferenda; & loculum transtulisse *vnà cum mulieribus ac pueris, exultantes gaudio, psalmosq; canentes*. Imò, *omnes ad vnum antecedentes saltare cæpisse*; & adfuisse quidem pompæ, *viros & mulieres, iuuenes & virgines, senes & pueros*. Scribit Euagrius, Lib. I. Cap. XVI. S. Ignatij ossa Theodosij Magni iussu, summo honore Antiochiam esse translata: *qua de causa*, inquit, *festum celebre, & lætitiæ communis ad nostram vsque ætatem peragitur*. Vide quàm grandis veneratio, quamq; probata, cuius annuam memoriam coli placuerit. Habes apud Hieronymum (Aduers. Vigilant.) suo æuo ossa Prophetæ Samuelis è Palæstina Constantinopolim iussu Arcadij delata. *Illas reliquias*, inquit, *omnes Episcopi in serico, & vase aureo portauerunt*. Addit, *Omnium Ecclesiarum populos occurrisse sanctis*

ctis Reliquijs, & tanta lætitia quasi præsentem, viuentemq; Prophetam cernerent, suscepisse; vt de Palæstina vsque Chalcedonem iungerentur populorum examina, & in Christi laudem vna voce resonarent. Sancti verò Chrysostomi ossa, tricesimo quinto postquam obierat anno, Constantinopolim Theodosij iunioris iussu translata, quo cultu excepta sint, habes apud illius seculi virum, Theodoretum, Eccles. Hist. Lib. V. Cap. XXXVI. *Fidelis hominum cœtus*, inquit, *pelagus nauigiorum multitudine velut continentem efficiens, Bosphori ostium ad Propontidem situm luminaribus cooperuere.*

Nec dixeris hunc fuisse veluti sepulturæ honorem, qui Sanctis eo modo habebatur; neque delatas illo æuo Reliquias, nisi si de vno monumento ad aliud. Imò, Sectarie, declinandis periculis, & inuocando solemnius Deo, sacra hæc pignora de templis producebantur; etiam interdum ad castra. Narrat Euagrius, Lib. I. Cap. XIII. vidisse se S. Symeonis Monachi caput, ad Philippicum Imperatoris generum missum, cùm is efflagitaret, *vti Sanctorum reliquiæ quò tutius in Oriente ex-*

te ex-

te expeditiones militares faceret, ad ipsum mitterentur. Et hinc habes, neque nouum, neque Sanctis iniurium, si eorum Reliquiæ diuiduntur in partes pluribus suffecturæ. Neque enim is Symeon capite truncato decesserat: Sed naturali morte defunctus, non à Christianis indignè laceratur, sed cum honore ac pietate diuiditur. In Augustino præterea legis (De Ciuit.Dei Lib.XXII. Cap.VIII.) pluribus in Africa locis S. Stephani reliquias fuisse dispersas, ad aquas Tibilitanas, in Castello Synicensi, Calamæ, Auduri, Vsali, Hipponæ: & cultas vbique, & vbique ad illas patrata miracula, *per Martyrem, [illegible]pitulatione Martyris, Martyre impetrãte*. hæc verba sunt Augustini.

De tanto consensu Maiorum in obseruandis Reliquijs, cùm fortè ageretur, vir Princeps, sed heu Sectarius, non soluere, sed carptim eludere argumentum sic voluit, vt diceret, fuisse hæc quædam idololatriæ paulò antè defunctæ vestigia; quibus tunc annuebant Episcopi, ne per omnia populi ingenio viderentur obstare. O quisquis es, agnosce hæreseos vitium, quæ sui patronos in hæc absurda cogit.

cogit. Si hoc enim ex idololatriæ vitio, non ex Christiana virtute; cur ipsi Episcopi non id modò ferebant in populo, sed ita populum imbuebant; sed hoc etiam in pietatis parte ponebant? Cur in Deum, vt authorem, referebant eiusmodi venerationis ritus, atque solemnia? Cur hæc etiam Deus miraculis asserebat? Audi enim non indoctum, non ineptum, sed magnum Augustinum, Lib. IX. Confess. Cap. VII. *Tunc memorato Antistiti tuo*, S. Ambrosio, *per visum aperuisti, quo loco laterent Martyrum corpora, Protasii, & Geruasij, quæ per tot annos, incorrupta in thesauro secreti tui recondideras, vnde opportunè promeres ad coërcendam rabiem fœmineam, sed regiam* (nempe Iustinæ Augustæ, Valentiniani Matris, quæ Ariana, & infesta Catholicis.) *Cùm enim propalata & effossa digno cum honore transferrentur ad Ambrosianam Basilicam, non solùm quos immundi vexabant spiritus, confessis eisdem dæmonibus sanabantur, verùm etiam quidam plures annos cæcus, ciuis, ciuitatiq; notissimus, cùm populi tumultuantis lætitiæ causam quæsiisset, atque audisset,*

exi-

exiluit, eoq; se vt duceret, suum ducem rogauit. Quo perductus, impetrauit admitti, vt sudario tangeret feretrum preciosæ in conspectu tuo mortis Sanctorum tuorum. Quod vbi fecit, atque admouit oculis, confestim aperti sunt. Idem Lib. XXII. De Ciuit. Dei. Cap. VIII. *Ad aquas Tibilitanas Episcopo afferente Proiecto Reliquias Martyris gloriosissimi Stephani, ad eius Memoriam veniebat magnæ multitudinis concursus, & occursus. Ibi cœca mulier, vt ad Episcopum portantem pignora sacra duceretur, orauit: flores, quos ferebat dedit; recepit, oculis admouit, protinus vidit. Stupentibus qui aderant, præibat exultans, viam carpens, & viæ ducem vlterius non requirens.*

Ibidem omnino ingentia, sibique, vt ait, notissima refert, diuersis in locis, ad Reliquias S. Stephani patrata miracula: Inter cætera, excitatos quinque à mortuis, cùm vel ipsimet delati ad Reliquias essent, vel vestes eorum, post Reliquiarũ contactum, iam ad mortuos dominos applicarentur. Quo sibilo eas historias stylo eodem, eadem ratione relatas, exciperetis Sectarij, si aliquem istius seculi au-

authorem haberent, qui nunc ad illas erubescitis veneratione tanti authoris? Collige mentem, Sectarie; vides non ex idololatriæ vsu, sed Deo iubente, elata Martyrum ossa. Vides non licitum modò, sed pium, vestes, aut sudaria sanctis applicare corporibus; & opem ex illo contactu tam expectare, quàm poscere. Vides denique hæc omnia, vt recta, vt syncera, approbata miraculis.

Reliquias autem, vel sub Altaribus cõdimus, vel ornata cista reponimus. Vtrũque ex vsu antiquo. Hieronymus, in Vigilantium. *Malè facit ergo Romanus Episcopus, qui super mortuorum hominum Petri & Pauli, secundum nos ossa veneranda, secundum te vilem puluisculum, offert Domino sacrificia?* Ibid. de Vigilantio. *Dolet Martyrum Reliquias pretioso operiri velamine, & non vel pannis, vel cilicio colligari.*

Ad Reliquiarum etiam locum pergimus, Deum exoraturi, vel Sanctis loquuturi; demissiq; sepulchris osculum damus. Ea etiã ex institutione antiqua. Nam & Hieronymus Vigilantiũ vocat, *portentum in terras vltimas deportandum*, quòd

ſcribere auſus eſſet; *Ergo cineres ſuos amant animæ Martyrum, & circumuolant eos, ſemperq; præſentes ſunt, ne fortè ſi aliquis precator aduenerit, abſentes audire non poſſint?* At quis credat aut Vigilantium iſta ſcripturum, niſi tunc Chriſtianis in more fuiſſet, Martyribus apud ſuas Reliquias ſupplicare; Aut Vigilantio, quòd hunc morem vellicaret, doctiſſimum Hieronymum tam acriter iri offenſum, niſi hoc piè ad Domini cultum, à Chriſtianis factitatum, & ab Eccleſia approbatum, ipſe in Eccleſia inſtitutus, & vetuſtatis ſcientiſſimus ritè nouiſſet? Idem in vita Hilarionis, de quadam Conſtantia, quam *Sanctiſſimam fœminam* vocat; *Erat ſolita peruigiles in ſepulchro eius* Hilarionis *noctes ducere, & quaſi cum præſente ad adiuuandas orationes ſuas ſermocinari.* Et Auguſtinus Lib. XXII. De Ciuit. Dei. Cap. VIII. Pauladiam quandam narrat, à fœdiſſimo morbo ſanatam ingenti miraculo, quæ, inquit, *ad Sanctum Martyrem* Stephanum *orare perrexerat.*

Credimus denique ad Reliquiarum viciniam, dæmones angi, torqueri. Neque

que nos ideò ſimplices, ac credulos voces. Nobis ad hoc magiſtra Eccleſia, & vetuſtiſſimi Patres authores ſunt. Hieronymus in Vigilant. *Sacrilegus fuit Conſtantinus Imperator, qui ſanctas Reliquias Andreæ, Lucæ, & Timothei, tranſtulit Conſtantinopolim, apud quas Dæmones rugiunt?* Inſignis apud Auguſtinum locus eſt, Epiſt. CXXXVII. Ad Clerum, & Plebem Eccleſiæ Hipponenſis; quem in tui gratiam, Sectarie, hic exſcribo. *Vbique quidem Deus eſt, & nullo continetur vel includitur loco, qui condidit omnia, & eum à veris adoratoribus in ſpiritu & veritate oportet adorari, vt in occulto exaudiens in occulto etiam iuſtificet, & coronet. Verumtamen ad iſta quæ viſibiliter hominibus nota ſunt, quis poteſt eius conſilium perſcrutari; quare in alijs locis hæc miracula fiant, in alijs non fiant? Multis enim nota eſt ſanctitas loci, vbi beati Fœlicis Nolenſis corpus conditum eſt, quo volui vt pergerent* (nempe Bonifacius Presbyter fœdi criminis arceſsitus, cum ſuo delatore) *quia inde nobis facilius, fideliusq; ſcribi poteſt, quicquid in eorum aliquo fuerit propalatum.*

tum. Nam & nos nouimus Mediolani apud memoriam Sanctorum, vbi mirabiliter & terribiliter dæmones confitentur, furem quendam qui ad eum locum venerat, vt falsum iurando deciperet, compulsum fuisse confiteri furtum, & quod abstulerat reddere.

Satis asserta re tantis viris, tam veteri vsu ac fide, desino in Gennadij Massiliensis sententia, quam inter Ecclesiastica Dogmata ipse sic tradit. Lib. De Ecclesiast. Dogmat. Cap. LXXIII. *Sanctorum corpora, & præcipuè beatorum Martyrum Reliquias, ac si Christi membra, syncerissimè honoranda, & basilicas eorum nominibus appellatas, velut loca sancta diuino cultui mancipata, affectu pijssimo, & deuotione fidelissima adeundas credimus. Si quis contra hanc sententiam venerit, non Christianus, sed Eunomianus, & Vigilantianus creditur.* Nonne verò, Sectarie, si in hoc seculum incidisset Gennadius, Eunomianis, & Vigilantianis vos adderet, diceretq́; *nō Christianus, sed Puritanus creditur, aut Protestans?*

Dum pro vno agimus, vt res connexæ sunt, & pro alio peroramus. Quippe Mi-

Miraculis fidem detrahitis. aitisq́; ea in nascenti Ecclesia crebra, nunc inueterata fide cessasse. Atqui, Sectaric, iam per Orbem sparsa fides, iam recepta, ac etiam inueterata, Augustini æuo erat: Iam desierat miraculorum illa frequentia, quibus Apostolorum æuo Ecclesiæ fundamenta creuerunt; & miracula tamen, suâ ætate agnoscit, vt vides, maximèq́; ad Sanctorum Reliquias: Neque his tantùm locis, quæ antè exscripsimus: sed & alibi sæpe. Lib. I. Retract. Cap. XIII. *Itē*, inquit, *quod dixi*, Lib. De vera religione: *Nec miracula ista in nostra tempora durare permissa sunt, ne anima semper visibilia quæreret, et eorum consuetudine frigesceret genus humanum, quorum nouitate flagrauit: Verum est quidem: Non enim nunc vsque cùm manus imponitur Baptizatis, sic accipiunt Spiritum Sanctum, vt loquantur linguis omnium gentium: aut nunc vsque ad vmbram transeuntium prædicatorum Christi sanantur infirmi; & si qua talia tunc facta sunt, quæ postea cessasse manifestum est. Sed non sic accipiendum est quod dixi, vt nunc in Christi nomine fieri miracula nulla credantur.*

Nam ego ipse, quando istum ipsum librum scripsi, ad Mediolanensium corpora Martyrum in eadem ciuitate cæcum illuminatum fuisse iam noueram, & alia nonnulla; qualia tam multa etiam istis temporibus fiunt, vt nec omnia cognoscere, nec ea quæ cognoscimus enumerare possimus. Eodem Lib. Cap. XIV. *Alio loco,* inquit, *cùm miracula commemorassem, quæ Dominus Iesus fecit, cum hìc esset in carne, adiunxi, dicens: Cur, inquietis, ista modò non fiunt? Atque respondi; quia non mouerent, nisi mira essent; si autem solita essent, mira non essent. Hoc autem dixi, quia non tanta, nec omnia modò; non quia nulla fiunt etiam modò.*

Prolixè etiam miracula sui æui diffudit, toto Capite octauo Lib. XXII. De Ciuit. Dei. Quæ illic, ac quanta miracula! quàm etiam multa! & illa quidem certa, clara, sua memoria patrata, quibus ipse etiam vt plurimùm testis. Nec omnia quæ tunc contigisse cognouerat, mãdauit literis, multitudine eorum propemodum victus. Ait enim: *Vrget huius Operis implendi promissio, vt non hìc possim omnia commemorare quæ scio; & proculdu-*

bio plerique nostrorum, cùm hæc legent, dolebunt me tam multa prætermisisse, quæ vtique mecum sciunt. Quos iam nunc vt ignoscant rogo: & cogitent, quàm prolixi laboris sit facere, quod me hic non facere suscepti operis necessitas cogit. Si enim miracula sanitatum, vt alia taceam, modò velim scribere, quæ per hunc Martyrem, id est gloriosissimum Stephanum, facta sunt in colonia Calamensi, & in nostra, plurimi conficiendi sunt libri; nec tamen omnia colligi poterunt.


Cur igitur nostra hæc ætas censeatur destituta miraculis? quis tunc miraculorum vsus qui non in hanc ætatem cadat? Quæ Scripturæ, quæ Dei sententia, hæc opera Dei à seculo nostro arcet? Si frequentia, ac vt dicam quotidiana miracula, quibus exordium Ecclesiæ asserebatur, spectes, iam ante Augustini ætatem (vt fatetur) desierant; sin rariora, sed tamen explorata, neque illius seculo defuerunt, neque nostram ætatem destituunt. Sed quidni miracula de mortalium animis, oculisq; , velitis auferri, quibus vestra causa opprimitur?

cùm inter vos nulla fiant, nisi quibus vos in errore esse discatis; cùm Sanctis Reliquijs sitis hostes, ad quas sæpenumero eiusmodi supra naturam opera Christus edit; cùm denique quot inter nos existunt miracula, tot sint Dei tonitrua vestram hæresim profligantis.



CAP. VIII.

De Imaginibus. De signo Crucis. De Purgatorio.



MAGINES, atque Cruces, vix clementius quàm Reliquias aspexistis; nisi quòd priuato cultui, & artificum industriæ indulgentes, eas pietati maluistis subduci, quàm oculis. Validissimum, vt putatis, in nos telum est, à secundo præcepto Decalogi. Exod. XX. *Non facies tibi sculptile, neque om-*

omnem ſimilitudinem, quæ eſt in cælo deſuper, & quæ in terra deorſum, nec eorum quæ ſunt in aquis ſub terra. Non adorabis ea, neque coles: ego ſum Dominus Deus tuus fortis, &c. Illis verbis ſucclamare amatis voce victorum. At è contrario facilè quis euincat, vel eodem ſacrilegio vos teneri, quod in nos effingitis; vel neque nos omnino peccare. Ita enim illa exponimus, vt non ſimpliciter prohibeantur imagines, ſed prohibeantur *adorari vt dij*. Si fatemini nos hæc ritè exponere, certè culpa vacamus. Sin aitis, non modò vetari adorari imagines, ſed fieri etiam ac ſeruari; non ſoli peccamus, ſed & criminis ſocios vos habemus, qui picturas, qui ſtatuas, domi habetis, ac etiam in templis illis veſtris interdum. Cur igitur tanti clamores, vel in nullo noſtro errore, vel in pari vobiſcum?

Imò, inquies, adoratis imagines. Non facimus, Sectarie, ea ratione quæ illo Exodi loco ſtatuitur. Illic enim de adoratione ſermo quæ debita ſoli Deo. Nam proximè illa verba præcedunt, *Non habebis Deos alienos coram me.* In eodem poſtea capite repetitur cautio illa. *Non*

facietis

facietis deos argenteos, nec deos aureos facietis vobis. Et ipſe Caluinus. Lib. V. Inſt. Cap. XI. fatetur hæc verba, *non facies tibi ſculptile, &c.* exponi per iſta ſequentia, *Non facietis deos argenteos, &c.* Non adorare igitur ſculptile, idem illic, ac ſculptile pro Deo non ducere. At *adorare* in alios ſenſus in Scripturis quoque ſumi, iam antè probauimus; vt eo nomine non aliud quàm *veneratio* deſignetur.

Quæ hæc autem impia ſcilicet adoratio qua imagines impertimur, Sectarij? An quòd apud illas oramus? Ita eſt. Sed non illas oramus. Apud imagines, inquam, oramus; ſed non imagines. Scimus illas inanimes, viſu, auditu, omni ſenſu carere. Sed ijs loquimur quorum ſunt imagines. Quòd ſi Sanctum, ſi pium eſt (vt ex veteris conſenſu Eccleſiæ paulò antè docuimus) apud Sanctorum Reliquias, id eſt illorum corporum partem, Sanctos orare, & quaſi cum præſentibus loqui; quidni & apud illorum imagines, quæ aliquam eorum ſpeciem oculis noſtris ſubijcientes, mentes etiam ad illos aduertunt? Certè enim illæ Reliquiæ non ſunt ipſimet Sancti: ſunt mutæ, ſunt

puluis, &, quãtum ad sensus, nihil habent supra imagines.

At nos dices & ipsas imagines veneramur. Duplex est veneratio quę circa imagines adhibetur, Sectarie: pia vtraque, atque sancta. Vna, cùm in illis ea colimus quorum sunt imagines: vt si ad Petri, Paulivè imaginem, capite nudato procumbens, reuera imagini hunc honorem non habeam, sed ipsi Apostolo. Ac tunc nón propriè *honoratur* imago; sed in imagine illa res cuius imago est, & cuius nobis memoria per imaginem admouetur. Et hoc verò licere, nemo Sectarius neget, qui nõ à mente prorsus exciderit. Nã sit tibi, Sectarie, vel Regis imago, vel patris, addo etiã vel tui Caluini: Si veneratione motus illius, quem imago tibi refert, quãuis ábsentis, in osculũ irruas, vel salutationem, vel eiusmodi alium cultum quem præsenti deferres, tuo affectu hunc animum, atque gestus, non ad imaginem, sed ad imaginis exemplar transmittente, an te peccare, an potius eximie amare, existimes? Si homo es, si ratione vteris, nunquam ideò te damnabis. Cur igitur ad Sanctorum imagines hoc mihi non

liceat,

liceat, quod tibi ad imagines alias, & ſæpe profanas?

Alia eſt veneratio, quam imaginibus ipſis habemus, eò quòd ſint Sanctorum imagines; ſed illa multò inferior, nec eiuſmodi quæ habetur naturæ alicui intelligenti, & vtenti ratione. Sed tantùm, vt Bibliorum volumina, quamuis charta & atramento conſtantia, ideò oſculamur, ideò habemus in honore, quia illic deſcripta lex Domini, deſcriptum Dei verbum: vtq; res cæteras ſacras, verbi gratia, altaria, calicesque, venerata eſt omnis antiquitas, quia ſunt Christi altaria, quia in illis calicibus conſecratur Domini ſanguis: Sic & ſua eſt veneratio imaginibus, ſtatuisq; Sanctorum, quia rem ſanctam referunt; & ſunt Sanctorum honori deſtinatæ, ac per hoc Dei, qui Sanctos ſanctificat, & propter quem Sancti coluntur. Ipſas, inquam, Sanctorum imagines veneramur, quia ſunt Sanctorũ imagines; ideoq; honor ille tranſit ad Sãctos. Sancti verò cùm non alia ratione colantur, quàm quòd ſint Dei ſerui, cultus ille refertur in Deum. Num hìc ergo vlla ſuperſtitio, vlla impietas, venerari

rari

rari imagines, non vt aliquid ſentientes, aut à quibus aliquis noſtrum opem expectet; Sed tantùm vt res quaſdam Dei cultui mancipatas, & quodammodo Deo ſacratas?

Sed nugantur quidam inter vos, Sectarie; nos quidem in ſcholis, aut vbi peritorum argumentis vrgemur, ad eam quam retuli ſententiam de imaginum cultu modeſtè diſſerere: At populum priuatis colloquijs, concionibus, vſu, adeò aliter imbuere, vt apud nos vulgus credat, diuinitatem aliquam, aut vim ſaltem, ac poteſtatem grandem, imaginibus ipſis ineſſe: Eo modo reuiuiſcere idololatriam iactatis, falli homines, templa, atque Eccleſiam ſacrilegio contaminari. Ad hæc omnia breuiter reſpondemus, eſſe maledicta ignarorum diſciplinæ Catholicæ; & vix adeò excordem apud nos vllum eſſe, qui imaginibus honorem exhibeat, niſi quem modò deſcripſimus. Hoc natura nos docet, hoc inſtitutio, hoc religio. Experientia conſtat iſta defenſio. Nam quis vnquam in Catholicis putauit crimen eſſe, aut imaginem, aut ſtatuam frangere, lignumvè eiuſ-

eiusmodi, aut marmor, aut chartam, conuertere in alios vsus, aut in aliam formam metalla conflare? modò neque ex imaginum despectu hoc fiat, neque materiam, quæcunque illa sit, spectes ea ratione qua in imaginem formata est, sed qua vsui tuo apta, dominio mancipata, subiecta imperio? Cùm hic vsus inter nos obtineat, & populi consuetudine constet vsus, omnino conficitur, populum nihil tale de imaginibus credere quale putatis, aut fingitis; & inania illa esse quæ iactantur inter vos de arcana, & recondita institutione Ecclesiæ; quasi aliter sentiat, aut loquatur, cùm vobiscum disputat, quàm cùm suæ plebeculæ præcipit quid in hac re credendum sit.

Qui igitur Sanctorum imagines, eò quòd tales sint, aut eò quòd fideles apud illas his supplicent quorum sunt imagines; aut eò denique, quòd quia sunt Sanctorum imagines, sunt in honore; violare aggreditur, is est hæreticus, illi anathema. Qui verò easdem imagines, non quòd sint imagines, frangit; sed quòd eam rem quæ est sua, & cui inscripta, aut sculpta imago est, ipsi in alios vsus verti

pla-

placuerit; is nec impius censetur à nobis; nec vt nouator audit. Nam vt Athanasius omnino rectissimè (Quæst. XVI. Ad Antioch.) non materiam colimus, sed figuram. Tolle formam crucis à cruce, imaginis ab imagine, tolles & Christiani cultum ab illa materia; Cumq; hoc ipsum in populi more sit, certò efficitur, neque pro idolis plebi nostræ esse imagines, neque vos veris criminibus, sed commentis inanibus, illam sanctam Ecclesiæ differre sententiam.

CRVCI Dominicæ, vna cum imaginibus, exitium quæsijstis; quidam ex vobis palàm, per cuniculos alij: longè vtrique à priscorum pietate. Igitur quidam ex vobis, editis quoque libris, nihil luctuosius, nihil magis detestandum signo Crucis asseruere. Nefarius in Anglia Minister ante octo circiter annos, hoc ipsum molitus est. Et quamquam Serenissimo Regi displicuit tantum nefas, satis est tamen ad vestrarum sectarum infamiam, & hominem illum ex Anglia profugum, & alios à quibus eadem impietas procurata, inuenisse alibi inter vos Sectarios locum, vbi impune; quid dico impune?

vbi ſecurè, & ad paria ſcelera, degere poſſent. Modeſtiores alij ſibi videntur, qui abſtinent ſcripto, qui ſpernere ſignũ Crucis faſtidiosè malunt, quàm acerbè proſcribere; in hoc tamen impudentes, quòd vulgato & populari iam inter eos argumento, nos rogant, num in familiæ noſtræ inſignia adoptari vellemus patibulum, ſi in eo parens noſter, aut auus expiraſſet. Hæc plerunque eſt Puritanorum, ſiue Hugonottorum blaſphemia. Ijs denique alij mitiores, largiter tamen peccant. Nam concedunt, ſiue Crucem, ſiue ſignum illius, in Chriſtianorum oculis, animisvè ideò eſſe debere, quòd in ea victor Chriſtus, de peccato ac morte triumpharit; vt per illius imaginem redeamus in beneficij accepti memoriam, teſtemurq́; non pudendam Chriſti mortem Chriſtianis nobis eſſe. Et hactenus quidem piè: Sed addunt; ſuperſtitioſarum mentium eſſe ludibria, vt credamus ad hoc ſignum Dæmones exhorrere, & ſæpe fugari: vel pericula, ſiue corporibus immineant, ſiue animis, ea Chriſtianorum armatura, vinci non rarò, ac diſcuti. Nolunt denique venera-

tio-

tionem Cruci deberi, tanquam instrumento redemptionis nostræ innoxio, & pręsenti plerumque malorum nostrorum medicinæ. Hos vltimos aggredi satis erit. Nam si errant, vincunturque; quantò magis deteriores illi causa ceciderint, quos in vlteriorem impietatem mala mens fœdè deduxit?

Crucem Domini, duplici modo intelligas: vel ipsum hoc lignum, quo Christus affixus est, vel figuram illius. Ipsam Crucem, preciosissimis Reliquijs annumerauit Ecclesia; nec Ecclesia tantùm æui istius, sed illa antiqua, in qua Cyrillus, in qua Ambrosius vixit, in qua cæteri illi, quos & pios & eruditos fuisse fatemini. Prodidere Helenam diuinitus monitam vt hanc Crucem effoderet. Id apertè Eusebius in Chronico, quod Latinum fecit Hieronymus. Iam verò repertam eo honore coluere, vt teste Chrysostomo (Homil. quòd Christus sit Deus) particulis ex ea auro inclusis, se Christiani ornari, atque seruari, *meritò* arbitrarentur.

Alia ratione Crucem accipias, pro signo ipso Crucis, seu sculptum sit, seu picturæ lineis ductum, seu denique ipsa

manu, de more Christiano, ad corpora nostra formatum. Hanc pretiosam imaginem, hoc Christianorum insigne, in fronte, in pectore, in corpore toto, manu ducere, adeò frequens antiquis, vt ignari sit de hoc more ambigere. Tertullianus testis, Lib. De Corona militis. *Ad omnem progressum, atque promotum, ad omnem aditum, & exitum, ad vestitum, ad calceatum, ad lauacra, ad mensas, ad lumina, ad cubilia, ad sedilia, quocunque nos conuersatio exercet, frontem crucis signaculo terimus*. Hieronymus ad Demetriadem. *Claudas cubiculum pectoris, crebro signaculo crucis munias frontem tuam*. Plures omitto: Nam qui non Patres de Christiano hoc more? Videndum potius quæ huius moris vtilitas, ex fide antiquorum. Quatuor, inter multos, ad eam rem mihi duces; duo Latini, totidem Græci: Hieronymus, Augustinus, Athanasius, Gregorius Nazianzenus. Ex ijs, & alijs præterea multis, habemus, credidisse Christianos valere apprime sacrum hoc signum, contra Dæmones, spectra, Magorum vim, prodigia, ingruentes etiam clades, morborumve sæuitiam.

Et

Et Deum arcana virtute, quam ei signo addit, Christianorum fidei sæpissime annuisse.

Refert Hieronymus, in vita Hilarionis, in ingenti terræ motu, qui post Iuliani mortem accidit, egressa suos terminos maria, cùm plurimis locis, tum maximè Epidauri exitium esse minata: Epidauritanos autem ad Hilarionem venisse, *& quasi ad prælium proficiscentes posuisse eum in littore. Qui cùm tria crucis signa pinxisset in sabulo, manusq; contrà tenderet, incredibile dictu est in quantam altitudinem intumescens mare antè eum steterit, ac diu fremens, & quasi ad obicem indignans, paulatim in semetipsum relapsum sit. Hoc Epidaurus, & omnis illa regio vsque hodie prædicat, matresque docent liberos suos, ad memoriam in posteros transmittendam*. Augustinus Lib. XXII. De Ciuit. Dei. Cap. VIII. narrat, Innocentiam quandam matronam Carthaginensem cùm immedicabili morbo sinũ illi cancer perederet, signo crucis esse curatam. *Admonetur*, inquit, *in somnis appropinquante Pascha, vt in parte fœminarum obseruanti ad baptisterium, qua-*

cunque illi baptizata primitus occurrisset, signaret ei locum signo Crucis Christi: fecit, & confestim sanitas sequuta est. Et iam tunc Christiani credebant (scilicet sæpe experti) contra *incantationes* ac dæmones, signo Crucis miram vim esse. Vnde Athanasius, Lib. De Incarnat. Verb. *Signo Crucis,* inquit, *magica omnia compescuntur.*

Exemplum est, sed illud illustre, & quod nulla exceptione submoueas, apud Gregorium Nazianzenum, Orat. I. in Iulianum. Refert Apostatam Imperatorem, cùm Magicę arti operam daret, à veneficis deductum in abditas sedes, vt mysteria illic peragerent tenebris digna. Illic verò cum vmbris, & aduentantium spectrorum tumultu terreretur, memorem adhuc Christianæ quam nuper reliquerat disciplinæ, signo Crucis se se armasse. Abscessisse subitò spectra, quieuisse tumultum; Neque tunc impios illos potuisse res suas, tanta virtute turbatas, instaurare. Si historiæ fidem solicitas; an te putes audiendum, Sectarie, qui post mille ducentos & amplius annos, rei controuersiam moueas, quam vir sanctus ac

prudens, sua ætate gestam, nemine æqualium repugnante, asseruit? Sed esto. Mentitus sit in re tanta, proh nefas! Sanctus ille Nazianzenus; aut si te mitiorem homini tanto præbes, fuerit fama deceptus; Nihil tamen in Crucem effeceris. Scribit enim, Iulianum hoc in dæmones remedio vsum de more Christiano, virtutis memorem quam inesse signo Crucis in Ecclesia antè didicerat. Si confictam igitur historiam demus, nihil minus hinc habeas, ita tunc institutos in Ecclesia Christianos, vt crederent signo Crucis muniri hominem, in veneficia, in spectra, in dæmones. Alioqui non scripsisset Nazianzenus, Iulianum ita in Ecclesia fuisse edoctum: eumq; Christiano remedio vsum, quamquam non amplius Christianum. Ridicula fuisset historia, aut si fabulam velis, minus illa ex arte contexta: Nam à coætaneis Nazianzenus audisset, falsum esse, vsurpatum hoc à Iuliano ex Christiano more in spectra remedium, quandoquidem moris Christiani non erat, illo vti remedio.

Non ergo auferetis hanc à nobis hæreditatem, Sectarij. Crucis scuto Ecclesiæ

filij adornamur, Crucis ſcuto cõtegimur; hinc nobis in Spiritualia ac temporalia mala ſæpe remedium. Nec exiſtimamus tamen certos, & vbique, effectus hinc ſequi. Scimus Deum, qui inſtituit vt illa vis Cruci eſſet, ex conditione hominum, temporum, rerum, ex ſuæ denique Maieſtatis prudentia, hæc cuncta diſpenſare. Satis nobis hoc noſſe, *ex rei natura* ingens eſſe munimentum ſeſe ea ſignantibus; hinc apertam ſæpe vtilitatem promanare; ac etiam ſæpe occultam. Scimus dæmonibus terrori eſſe Crucem, & tamen interdum ad gloriam Dei fieri, vt cùm ad eam horreant, non illico tamen & fugiant. Nec de Cruce tantùm hoc dixeris; ſed & alijs Chriſti ſignis; vt egregiè Auguſtinus Lib. LXXXIII. Quæſt. q. LXXIX. *Nec mirum eſt, quòd hæc ſigna valent*, inquit, *cùm à bonis Chriſtianis adhibentur, quando etiam cùm vſurpantur ab extraneis, qui omnino ſuum nomen ad iſtam militiam non dederunt, propter honorem tamen excellentiſſimi Imperatoris valent &c. Cùm autem non cedunt his ſignis huiuſmodi poteſtates, Deus ipſe prohibet occultis modis, cùm id iuſtum atque*

vtile

vtile iudicat. Nam nullo modo vlli spiritus audent hæc signa contemnere. Contremiscunt hæc, vbicunque illa prospexerint.

CAETERVM non minori facinore quàm quo à Sãctis cultũ, & à nobis nostra arma detrahitis, opem adimi vultis animabus fidelium. Deridiculo vobis sumus, dum de illorum supplicijs gemimus, dum pro illis Dei pacem exposcimus. At quàm ipsi ridiculè in hoc supercilium assurgatis, noui Censores, ex Luthero, Caluinoq; iam discite. Nam, *In Disputatione Lipsica*, hæc Lutheri verba sunt. *Ego qui credo fortiter, imò ausim dicere, scio Purgatorium esse, facile persuadeor in Scripturis de eo fieri mentionem.* Quis deinde Angelus, quæ extasis, quæ tuba de cælo, hanc fidem illius, imò scientiam, ita deleuit, vt signifer vobis esset contra illam *scientiam, atque fidem* euntibus? Sed audite Caluinum. Lib. III. Inst. Cap. V. §. X. *Ante mille, & trecentos annos*, inquit, *vsu receptum fuit, vt precationes fierent pro defunctis.* Et paulò post: *Sed omnes, fateor, in errorem abrepti fuerunt.* Quid his ver-

bis insignius ad defensionem Ecclesiæ, Caluiniq; infamiam? *Ante mille & trecentos annos,* inquit. At quandiu ante illos mille trecentos annos? Quando, inquam, mos ille exorsus *orandi pro defunctis?* à quo incepit? quando incepit? in qua Ecclesia? an nemo purissimo illo æuo serpenti errori refragatus? Certè *ante mille & trecentos annos* incepit. nimirum à nascentis Ecclesiæ cunis, & Apostolica fide. Quot autem secula Ecclesiæ illuxerant, cùm confessione Caluini iam *receptum vsu erat,* orare pro mortuis? Omnino vix duo: Plures enim sexaginta annis sunt, ex quo ille hoc scripsit. Quòd si illa suffragia, publico Orthodoxæ Ecclesiæ vsu recepta tunc erant, num dubites hoc fuisse ex Orthodoxa, & Apostolica disciplina? cùm tunc nihil antiquius Pastoribus esset, quàm superflua resecare, superstitionibus bellum indicere. Sin aliquo priuatorũ errore insinuatus mos; iterum petam; quinam illi priuati fuerunt? vbi cœpere? quando cœpere? An nemo ex tot Antistibus, ex tot Martyribus, vestro spiritu actus est, qui se opponeret, qui *rem ad Scripturas exploraret,*

& censoria nota percelleret? *Sed omnes fateor*, inquit, *in errorem abrepti fuerunt*. O te superbia amentem! Qui illi *omnes*, qui in errorem abrepti? certè qui ab ea tempestate vixerunt, nempe qui sub Seuero, Maximino, Decio, Valeriano, Galieno, Aureliano, Diocletiano, & Maximiano sanguinem pro Christo dedere; vt omittam Ecclesiæ lumina, quæ deinde floruerunt.

En porrò, vt demum excutitis laruam, qua populo soletis imponere; fingitisq; ad Ecclesię *puritatem*, qualis primis quatuor seculis fuit, vestris studijs prouocari. Nam oratio pro defunctis illis seculis, teste Caluino, *vsu recepta fuit*. Non, inquam, vno tantum, aut altero patrono afferta; sed, *vsu recepta*. Cur vos igitur eam ausi respuere, si ex illorum sæculorum lege iam viuitis? Referetis; Vos in seculis illis demum ea probare, quæ cum Scripturis conueniunt. Quem verò post hanc vocem ludificationis vestræ non pigeat? Num enim & non alijs idem seculis apud vos honos erit? Num, inquā, quicquid posteriores etiam ætates vsurparunt, quod Scripturis consentiat, pro-

bare

bare non vultis? Imò quod Iudæi, quod Turcæ, ex norma Scripturarum; aut colunt, aut faciunt, an vos colere ac facere, profiteri piguerit? Quæ ergo illorum prærogatiua seculorum; quibus honorem vos habere simulatis, si & illa examini vestro obnoxia; nec scire sufficiat, quid tunc Christiani crediderint, sed & quærere restet, an ritè ac sanctè crediderint? Ac quid absurdius, aut recto ingenio magis aduersum; quàm primis seculis nescijsse Christianos, quomodo exponendæ Scripturæ, quid iusserit Christus, quid Apostoli commendarint: Vos autem hæc nunc demum omnia ritè cognoscere?

Hoc igitur habe, Sectarie; Ex confessione Caluini, ante annum à Christi morte ducentesimum, *vsu receptum fuit*, vt Christiani orarent pro mortuis. Nec dicere potest, quandiu ante hos annos vsus ille receptus, aut quis illum receperit, aut quis induxerit. Vtri igitur errant; An vos, qui hunc morem, vt inutilem, imò superstitiosum, abijcitis; An nos, qui rem vetustissimam probamus, & à viris sanctissimis vsurpatam, & cuius originem nemo

nemo magis nouitiam possit arguere, quàm rerum cæterarum quas ab Apostolis traditas esse cognoscimus? Præsertim cùm non modò Christiani orarent pro mortuis, sed & illos, qui orandum abnuerent, in hæreticis numerarent. Ita Epiphanius, Augustinus, & cæteri Patres, inter Aërij hæreses referunt, quòd pro mortuis nollet orari.

Sed, inquies, quæ Scripturæ hoc docent? Pete illud, Sectarie, ab antiquis Christianis, quibus non minus quam tibi charæ Scripturæ, non magis ignotæ; quibus præterea multò quàm nobis notior Apostolorum traditio, quam Scripturarum vim habere, nisi hæreticus nemo negauerit. Sed nec istam rem Scripturæ deficiunt. Vt plura omittam, quæ à Catholicis Doctoribus in istam rẽ colliguntur: testis mihi Augustinus, hoc ipsum ex Scriptura asserẽs, Lib. De cura pro mortuis. Cap. II. *In Machabæorũ Libro legimus oblatum pro mortuis sacrificium: sed & si nusquam in Scripturis veteribus omnino legeretur, non parua est vniuersæ Ecclesiæ, quæ in hac consuetudine claret authoritas, vbi in precibus Sacerdotis,*

quæ

quæ Domino Deo ad eius altare funduntur, locum ſuum habet etiam commendatio mortuorum. Duo hìc habes, Sectarie; & Machabæorũ libros, ita in Scripturis ab Auguſtino eſſe relatos, vt ex illis crederet fidei partes ſtatui poſſe (ſed de hoc, nos fuſius, Lib.I. Cap.XII.) & vniuerſam Eccleſiam in hęc pro mortuis ſuffragia conſenſiſſe: Quæ autem Auguſtino *vniuerſa Eccleſia*, niſi Orthodoxa, atque Catholica?

Sed & ille pro patre & matre orauit, & vt orarent alij enixè concupijt, vt fuſius diſſeruimus. (hoc Lib. Cap.I.) Nec aliter huic rei reſpõſum à Caluino, quàm commento impudentis audaciæ; Lib.III. Inſt. Cap.V. *Quod autem orauit* Auguſtinus *pro matre, id fecit quia anile votum matris non examinauit ad Scripturas, & priuato quodam affectu omnibus probari voluit*. Imò, Caluine, nihil matrem optaſſe Auguſtinus oſtendit, præter id quod tunc in *vniuerſæ Eccleſiæ* vſu. Sacrificium corporis Chriſti ſtatim pro ea oblatum eſt, ex Eccleſiæ more, non ab ipſo Auguſtino, ſed Clero Oſtienſi; preces pro ea fuſæ, non à filio tantùm, ſed à cœtu fi-

tu fidelium ; & his verbis, quæ modò exscripsimus, testis est Augustinus, non sua tantùm, aut patris, aut matris *authoritate*, nixa pro defunctis suffragia, sed *Ecclesiæ vniuersæ consuetudine*. Dicas igitur qua impudentia es, non de vno Augustino, sed *de Ecclesia vniuersa*, atque Catholica, quæ Augustini æuo fuit, eam *non examinasse ad Scripturas* hunc morem orandi pro mortuis.

Pluris agi non decet, in re clarissima. Quamquam enim Patres interdum, & ipse etiã Augustinus, quæsiuerint, ad quæ peccata sit, quibusve supplicijs, purgatorium constitutum; nemo tamen Purgatorium negat; imò rarus qui disertè non asserat. Duos ex pluribus Augustino addiderim; Chrysostomum, atque Ambrosium. Chrysostomus, Homil. XLI. in I. ad Corinth. *Iuuetur mortuus non lachrymis, sed precibus, supplicationibus, eleemosynis.* Ambrosius, ad Faustinum de obitu sororis. *Itaque non tam deplorandam, quàm sequendam orationibus reor, nec mœstificandam lachrymis tuis, sed magis oblationibus animam eius Deo commendandam.*

Sed

Sed quoniam plerique ex vestris ipsa consuetudine Purgatorium rident, aut negant: ignari reuera quid de Purgatorio sentiamus; rem totam cōpendio edisseri non absurdum. Purgatorium igitur, ex doctrina Ecclesię, locus est in quo animæ temporaria pœna plectantur, quæ in obitu nec mortali culpa graues sunt, nec adeò defæcatæ, vt confestim ad conspectum Domini possint admitti. Non animabus illic locus, quæ cùm corporibus excederent, à Dei gratia, & amore erant exclusæ. Ijs sola, atque perpetua in inferis sedes. Eluuntur itaque purgatorijs pœnis, primùm culpæ veniales, in quibus absque pœnitentia Christianus decesserit. Nam & illæ à Dei amore ac gratia hominem non excludunt; ideoq; nec luendæ inferi igne; rursusq; suis pœnis sunt plectendæ, quia quamuis veniales, attamen culpæ sunt, & *nihil coinquinatū intrabit in regnū cælorū*. Apoc. XXI. Præter culpas veniales, pœnæ grandiorū criminum illic quoque soluuntur, cùm pœnitentia peccatorum eiusmodi fuit, vt misericors Deus iram quidem æternam auerterit, sed vt & iustus iudex est, tempo-

ralibus pœnis exerceri peccatorem decreuerit. Pœnam enim non vtique semper cum culpa donari in Scripturis sæpe docemur. Quis putet non *remissam* Moysi culpam, quòd *ad aquas contradictionis* dubitarit? Fuit tamen illi in mulctam, *ne ad terram promissionis* intraret; vt dicitur Numer. XX. & XXVII. Adulterij, & homicidij culpam, diluit pœnitens Dauid, statimq; ad eum Propheta Nathan. II. Reg. XII. *Dominus quoque transtulit peccatum tuum: non morieris.* Sed addidit: *Verumtamen quoniam blasphemare fecisti inimicos Domini, propter verbum hoc, filius qui natus est tibi morte morietur.*

Animas porrò in Purgatorio constitutas, neque posse peccare, neque mereri, credit Ecclesia. Amant Deum, certæ sunt de salute. Suffragijs viuentium, & maximè incruentæ victimæ oblatione adiuuantur. Hæc est de Purgatorio fides Ecclesiæ. Hinc Patribus, atque nobis, orandi pro mortuis sancta sedulitas, & Domino grata cui preces offeruntur, & vtilis animabus pro quibus supplicamus.

Hæc

Hæc ſtrictim à nobis de pręcipuis inter nos, atq; Sectarios momentis. TV Domine qui mortem peccatoris non amas, qui Christianorum vitam intra limina Eccleſiæ concluſiſti, aperi illorum oculos, vt feciſti Syrorum in Elizæi ſecuritatem errantium. Videant ſe in media Samaria eſſe, inter hoſtes, ſub gladio tuo. Qui ſine te peccauerunt,hos ſine te pœnitere non poterit. Sed omnibus clementia tua adeſt. Fac videant quam porrigis manum, fac teneant. Delectent Angelos, teq; Paſtorem, receptæ ab erroribus oues. *Miſericordia Domini ſupra omnia opera eius.* Tibi gloria, Summe Deus. Pax ſuper Iſraël.

FINIS.